



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ,
perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Angelis Actibvs humanis, & Legibus

Vindalium, 1646


urn:nbn:de:hbz:466:1-38834




Th. 420.

D. 1

15.





DE
ANGELIS
ACTIBVS
humanis, & Le-
gibus.

PARS II.

Editio secunda.

Per R. P. G. E. T. I.
Collegii Soc. Jesu Paderbornae



VINDALII,
Apud ED. BARNA.
M. D C. XLVI.

Cum permissu.

DE
AMGELLIS
ACTIBUS

hominibus
glor

PARS II

hominibus

RE RATIONE



HYNDLII


ED. BARNA

M. D. C. X. V.

Curia principis



TRACTATUS
ABSOLVTISSIMVS
DE ANGELIS.



CAPVT. I.

*An sint, Quando & ubi
creati.*



NOTA I. Nomen Angeli
variis modis sumi; ali-
quando enim est nomen
officij tantum, & nuncium
significat; aliàs est officij
simul & naturæ; quandoque autem offi-
cij, naturæ. & ordinis vt Toletus in cap.
I. lucæ aduertit, Annotati. 42. Ex pro-
priâ tamen vi & prima impositione no-
men officij est non naturæ, vt testatur
D. August. in psal. 103.

De Angelis.

A

2 TRACTATUS

Nota 2. Nomen Angeli communiter sumi pro substantiâ spirituali & intellectuâ humanam naturam nobilitate longè superante.

CONCLUSIO I. Dari Angelos fides docet. Est contra Sadducæos qui ut habetur Actorum, 23. dicebant non esse resurrectionem neque Angelum, neque Spiritum. & contra Libertinos quosdam superioris sæculi pestem de quibus Pratteol. V. Libertini.

Conclusio tamen ex sacris paginis clara est. Psal. 8. Minuisti eum paulo minus ab Angelis, qui locus ad Heb. c. 2. refertur & expenditur à suare hic. 1. 1. cap. 1. a. n. 4.

Idem Iob. c. 4. significatur, si in Angelis suis reperit prauitatem.

Denique passim scriptura de Angelis meminit ut substantiis intellectiuis & homine superioribus ut Gen. 16. & 19. Luc. 1. & Acto. 12.

CONCLUSIO II. Existere Angelos ratione naturali euidenter probari non posse videtur. Quia nec ostendi potest à priori, per eorum existentiam, cum non sit de essentia Angeli ut existat: nec à posteriori per effectus, cum motus cœlorum, operationes extraordinariæ energumenorum, alique effectus,

DE ANGELIS. CAP. I. 3

ex quibus Angelorum existentia colligi solet, in Deum, vel in animas separatas, aliasue causas facile reduci possint.


Vbi obseruandum occurrit, in Conc. Lateran. relato in cap. firmiter, de summa Trinitate, statutum esse, Deum ab initio temporis, simul vtramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam. Dubium est autem, an propter hæc verba certum sit ex fide, Angelos non esse productos ante mundum corporeum, quâ in re tria dicenda videntur. 1. ex iis quidem vt de fide certum colligi, Angelos de facto non esse creatos ab æterno, sed in tempore. 2. non propterea videri esse ex fide certum, Angelos tanta simultate productos esse cum rebus corporeis, vt ne per breuissimum quidem tempus ante illas extiterint; quia parum pro nihilo reputatur, & ea commode dici possunt simul creata, saltem simultate morali, quorum vnum paulò ante illud productum est. 3. non tamen sine aliqua temeritate affirmari posse, Angelos esse creatos ante mundum corporeum, quia ex communi Theologorum sententia, particula, simul, in dicto Conc. de simultate physica temporis intelligi debet.

CONCLUSIO III. Angeli

A 2

non sunt creati ante mundum. Pr. Quia Concil. Lateran. cap. Firmiter contrarium insinuare videtur, dum ait Deum ab initio temporis vtramque simul condidisse creaturam spiritualem & corporalem, angelicam scilicet & mundanam.

CONCLUSIO IV. Probabile est eos in Cælo Empyreo fuisse creatos. Id enim exigere videtur eorum perfectio. Probant aliqui autoritate Christi Ioan. 10. videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem, sed is locus non hoc euincit lege Maldo. 3. Luc. cap. 10.



CAPVT II.

An Angeli errati fuerint ab initio in Gratia & Beatitudine.

CONCLUSIO I.

Angeli fuerunt creati in beatitudine naturali, non in supernaturali. Ita S. Thom. 1. p. q. 52. art. 1. quod probat hoc discursu. Nomine beatitudinis intelligitur vltima perfectio rationalis, seu intellectualis, quæ perfectio duplex est. Vna quidem quæ naturali virtute acqui-

DE ANGELIS. CAP. II. §

ri potest, quæque in perfectissima Dei contemplatione naturali posita est, alia quæ excedit vires cuiuscunque intellectus creati, & consistit in clara visione Dei, quam in futura vita expectamus. Quantum ergo ad primam beatitudinem, Angelus creatus fuit in eâ, quia eiusmodi perfectionem non acquirit. per aliquem motum discursiuum, sicut homo, sed statim ei adest propter naturæ suæ dignitatem: quoad alteram verò, Angeli non statim in principio suæ creationis fuere beati, quia hæc beatitudo, non est aliquid naturæ, sed naturæ finis, & ideo non statim à principio eam habuere debuerunt.

Potest hoc posterius confirmari, quia Angeli mali non peccassent, nec è statu beatitudinis excidissent, si fuissent beati. Boni verò æquè poterant peccare ac alij, & cum illis damnari.

Nota 1. ex art. 2. Angelum indiguisse gratia ad hoc vt conuerteretur in Deum, prout est obiectum beatitudinis; quia voluntas non potest ferri in id quod est supra naturam, nisi ab aliquo principio supernaturali adiuta: At videre Deum per essentiam, in quo vltima beatitudo creaturæ intellectualis consistit, est supra naturam cuiuslibet intellectus creatis

quare Angelus non potest in illam beatitudinem voluntate conuerti, nisi per supernaturale auxilium gratiæ.

Nota 2. ex responsione ad 3. triplicem esse conuersionem in Deum, vnã quidem per dilectionem perfectam, quæ est creaturæ iam Deo fruētis, ad quam requiritur gratia consummata: aliam quæ est meritum beatitudinis, ad quam requiritur gratia habitualis, quæ est merendi principium tertiam verò per quam aliquis se præparat ad gratiam scilicet habituales habendam, & ad hanc non requiritur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei ad se animam conuertentis, id est auxilium gratiæ actualis.

CONCLUSIO II. Angeli fuerunt creati in gratia. Hoc probat S. Thomas prædictæ quæstionis art. 3. tum ex Augustino libro 12. de Ciuit. cap. 9, vbi ait, Deum creasse Angelos simul in eis condendo naturam, & largiendo gratiam; tum quia res aliæ initio sunt productæ, secundum quasdam seminales rationes, sicut arbores, & animalia aliaque eiusmodi. Manifestum est autem quod gratia gratum faciens hoc modo comparatur ad beatitudinem, sicut ratio seminalis in natura ad effectum naturalem, vnde 1. Ioan. 3. Gratia semen Dei no-


DE ANGELIS CAP. II. 7
minatur : ergo congruum fuit vt
Angeli à principio fuerint creati in gra-
tia.

Potest hoc confirmari , quia boni an-
geli meruerunt beatitudinem, mali verò
eam poterant mereri : at hoc meritum
supponit statum gratiæ : neque ratio est
cur Deus potiùs in secundo, quàm in pri-
mo instanti viæ Angelorum, gratiam ip-
sis contulerit.

Notandum autem Angelos ex commu-
niori sententiâ, per proprios actus se dis-
posuisse ad primâ illam receptione gra-
tiæ sanctificantis ; quia cùm in instanti
creationis vsu libertatis habuerint, &
per actum supernaturalem ad Deum
conuersi sint, nihil videtur potuisse ob-
stare, quominus eiusmodi actus fuerit
dispositio ad gratiam sanctificantem
tunc infusam.

Neque refert quod infrâ dicemus
gratiam Angelis fuisse primo collatam,
iuxta proportionem naturalium. Hoc
enim proximè potest intelligi de gratiâ
actuali, & remotè de gratia sanctificante;
ita scilicet vt Deus ex mera sua volunta-
te, eò maiora gratia auxilia Angelis
contulerit in instanti creationis, quò
vnus altero est perfectior in natura; qui-
libet autem Angelus secundum totam

8 T R A C T A T V S
vim auxiliij accepti, ad Deum se con-
uerterit; atque ita cum gratia sanctifi-
cans collata sit iuxta vaiuscuiusque dis-
positionem, consequenter, quò vnus al-
tero est perfectior in donis naturalibus
cò maiorem gratiæ sanctificantis habi-
tum receperit.



CAPVT III.

Quid sint, & an eiusdem speciei.

CONCLUSIO I.

Angeli sunt spirituales, seu incorpo-
rei.) Hoc dupliciter potest intelli-
gi. 1. vt Angeli non sint creaturæ omni-
no corporeæ, sed saltem aliquid spiri-
tuale essentialiter adiunctū habeant, 2. vt
totaliter sint incorporei; neque intrinse-
cè consistunt ex parte aliqua corporea; &
quoad vtrumque certa est conclusio. Nā
in primis quòd Angeli non sint res om-
nino corporeæ, efficaciter deducitur ex
duobus principiis communiter receptis,
quorum alterum est, Angelos quoad cō-
ditionem naturæ esse perfectiores ho-
mine, vt sufficiēter probatur ex illo Psal-

DE ANGELIS. CAP. III. 9
mi. 8. Minuisti eum, id est, hominem,
paulò minùs ab Angelis: Alterum est,
hominem non esse rem planè corpoream,
sed constare anima incorporea, & spiri-
tuali.

Deinde quòd Angeli sint omnino in-
corporei & spirituales probatur, tum ex
Scrip. quæ Hæbræor. i. Matth. 8. aliisque
locis Angelos siue bonos, siue malos vo-
cat spiritus; tum quia in Concilio Later.
relato in cap. firmiter, de sūma Trinit.
statuitur, Deum vtramque de nihilo con-
didisse creaturam, spiritualem, & corpo-
ralem, Angelicam videlicet & mundanā,
ac deinde humanam quasi communem,
ex spiritu & corpore constantem; tum
denique, quia Angeli boni cælos pene-
trant vt ad nos descendant, quod non
posset fieri sine miraculo si essent corpo-
rei: dæmones etiam ex inferno ad nos
remeant, & per consequens terram pene-
trant, ingrediuntur cubiculum vndique
occlusum, simulque quamplurimi eius-
dem hominis corpus inuadunt, vt patet
ex illo dæmoniaco qui Lucæ 8. ab inte-
gra dæmonum legione, id est à 6666. dæ-
monibus possidebatur.

Nota i. Patres qui dix runt Angelos
esse corporeos, minùs probabiliter de
Angelis sensisse, non tamen errasse con-

10 T R A C T A T V S

tra fidem, cum eorum temporibus con-
trouersia de qua agimus, esset satis am-
bigua, nondumque ab Ecclesia sit defini-
ta, vt authores communiter censent: me-
ritò tamen temeritatis arguuntur ij, qui
post Concil. Lateran. citatum, scripse-
runt Angelos esse corporeos.

Nota 2. in 7. Synodo approbatam esse
sententiã Episcopi Thessal. quatenus di-
cebat, Angelos posse depingi, agebatur
enim de adoratione imaginum, non
quoad rationem quam attulit, quia tenui
corpore sunt præditi.

CONCLUSIO II. Angeli non
sunt compositi ex materia & forma.)
Probat, quia si Angeli componuntur ex
materia, vel ea est corporea, vel incor-
porea. Neutrum dici potest, non primum,
quia sic Angeli essent corporei, contra
prædicta; non secundum, tum quia Ange-
lus est essentialiter perfectior, adeoque
simplicior anima rationali, hæc autem
est forma simplex, nec constat intrinsecè
materia spirituali, sed tota est forma seu
actus corporis; tum quia materia illa
esset superflua, cum Angelus sine illa suas
omnes operationes, nempe intellectiõem,
volitionem, & motum localem exercere
possit, vt constat & ex anima separata,
quæ ea omnia præstat sine materia.

DE ANGELIS. CAP. III. 11

Nota ibi esse materiam, vbi est transmutatio substantialis, & non vbi est tantum accidentalis, qualis reperitur in Angelis; vt cum ab vna intellectione, aut volitione transeunt ad aliam, vel ab vno loco in alium.

Hinc autem collige in Angelis non esse compositionem ex partibus extensiuis, talis enim compositio non competit nisi rebus quantis, & corporeis; Angelus tamen habet quandam extensionem virtualem respectu loci quem occupat, cum sit totus in toto, & totus in qualibet illius parte; similiter etsi non sit in Angelo formalis compositio ex partibus intensiuis, qualis reperitur in albedine, frigore, aliisque qualitatibus quæ possunt in eodem subiecto augeri; vel minui, est tamen in illo quædam intensio virtualis, quatenus vnus Angeli perfectio tanta esse potest, vt multis æquiualeat, easque virtualiter contineat.

Vbi nota Angelos, etsi non sint compositi ex materia & forma, tamen habere alias quasdam compositiones, constant enim ex essentia & existentia; ex natura singulari, & supposito; ex natura specifica, & differentia individuali; ex genere, & differentia; ex subiecto, & accidente, quæ omnia dicunt compositionem ali-

quam, vel realem, vel rationis; realem, quando inter extrema est distinctio realis, rationis, quando extrema non nisi ratione distinguuntur. An autem extrema ipsa distinguantur realiter, vel tantum ratione, ex Philosophia repetendum est.

CONCLUSIO III. Angeli ab intrinseco, & ex natura sua sunt incorruptibiles.) Probat, nam illud dicitur incorruptibile ex natura sua, quod neque ab agente creato, neque à Deo ex lege ordinaria corrumpi, seu destrui potest. Angeli sunt tales, ergo, &c. Minor ostenditur. Nam in primis cum Angeli non constent ex materia & forma, sed sint substantiæ simplices physicè, ut ostensum est, perspicuum est eos non posse corrumpi ab ullo agente si corruptio propriè & strictè sumatur, pro destructione qua forma substantialis rei deporditur, manente materia illius, ut contingit, verbi causa, in corruptione ligni quod in ignem convertitur.

Rursus, si corruptio accipiatur latè, & minus propriè pro tali rei desitione, quæ annihilatio vocatur, sic etiam certum est Angelos non posse corrumpi ab ullo agente creato; eò quòd non pendent in fieri, & conseruari ab eiusmodi agentibus, neque ab iis aliquid accipere possunt,

DE ANGELIS. CAP. III. 13

quod repugnet eorum existentiae; & quo-
posito teneatur Deus consentaneè ad na-
turas rerum, subtrahere influxum quo il-
las conseruat: vnde etiam sequitur, An-
gelos esse natura sua, incorruptibiles,
respectu potentiae ordinariae Dei, quia
Deus ex tali potentia nihil destruit, de-
negando ei suum influxum conseruatiuum,
nisi ad exigentiam alicuius agentis con-
trarii, quod illius destructionem postu-
let. Quare sicut caeli dicuntur natura
suâ incorruptibiles, eò quòd cum careant
contrario cuius vi dissoluantur, postulant
à Deo perpetuò conseruari; ita Angeli,
&c.

Confirmatur. Nam ex Concilio La-
teranenſi sess. 8. anima rationalis natura
sua est immortalis, ergo idem dicendum
de Angelis, cum sint substantiae non mi-
nus spirituales, & simplices quàm anima.
Nec refert quòd in 6. Synodo actione.
11. dicitur Angelos & animam rationa-
lem Dei gratia habere immortalitatem,
ibi enim per Dei gratiam nihil aliud in-
telligitur, quàm liber concursus Dei, qui
animas & Angelos conseruat, vt possit
absolutè si velit eos in nihilum redigere.
Hoc tamè non impedit quo minus eius-
modi conseruatio sit naturis rerum con-
sentanea, quod satis est vt Angeli, & ani-

mæ rationales dicantur natura sua immortales, & incorruptiles in ordine ad potentiam Dei ordinariam.

CONCLUSIO IV. Possunt dari plures Angeli & diuersæ, & eiusdem speciei.) Primum patet, quia nihil denegandum est potentia Dei, nisi quod manifestam inuoluit repugnantiam, at non repugnat Angelos multiplicari quoad speciem, cum nulla ratio sit cur substantia spiritualis ex se non possit esse genus cõtrahibile per varias species, aut cur cum Angelica natura finita sit, non possint dari plures Angelorum species, quæ gradum genericum substantia spiritualis inæqualiter parricipent.

Secundum, eodem modo ostenditur, quia sicut non repugnat quod vnus Angelus habeat conuenientiam genericam cum alio Angelo, & differentiam specificam ab illo; ita nihil obstat quin habeat conuenientiam specificam cum alio Angelo, & differentiam numericam ab illo: si quidem natura Angeli etsi realiter simplex, ptopter varias rationes obiectiuas sufficiens præbet fundamentum intellectui, vt iudicet eam conuenire specie cum aliquo, & ab illo distinguere numero.

Nota 1. non opus esse vt quæcunque

numero distinguuntur constant materia, ut manifestè patet exemplo animarum rationalium, quæ etsi sint immateriales, solo numero differunt. Neque dicas animam rationalem dicere essentialiter ordinem ad materiam, hoc enim non sufficit ut animæ numero multiplicentur, per ordinem ad materiam; cum singulæ sint indifferentes ad hanc, vel illam numero materiam.

Nota 2. aliud esse distinctionem formarum, aliud distinctionem formalem, ad illam enim sufficit quòd duæ formæ distinguantur realiter quoad entitatem, ad istam verò requiritur ut inter formas sit distinctio essentialis. Hinc inter duas animas rationales est distinctio formarum, non formalis, vel essentialis; ita ergo possunt creati duo Angeli, qui etsi realiter per se quoad suas entitates distinguantur, non tamen formaliter, seu essentialiter.


CONCLUSIO V. De factò dantur plures Angeli distincti specie, & plures distincti solo numero.) Prior pars probatur, tum quia ordo & pulchritudo vniuersi talem varietatem postulare videtur, ut liquet ex gradibus rerum inferioribus; tum quia cum fides doceat inter Angelos varias esse hierarchias, &

ordines, adeoque magnam dignitatis diuersitatem, hinc valde probabiliter colligitur essentialis, & specifica diuersitas inter illos. Præsertim cum ex communi Theologorum sententia; gratuita sint Angelis collata; iuxta proportionem donorum naturalium.

Posterior pars ostenditur ex iam dictis, quia ad perfectionem vniuersi spectare videtur, non modo sufficiens distinctarum specierum multiplicatio; sed etiam nonnulla singularum specierum dilatatio, per multiplicationem individuorum: & quia alias cum innumeri Angeli defecerint, eorum ordines valde imperfecti remansissent, ut pote tot speciebus destituti quot Angeli ceciderunt.

Vbi nota Angelorum numerum esse maximum, quamuis incertum, ut patet ex verbis illis Danielis 7. Millia millium assistebant ei. Quare autem Deus tantam Angelorum multitudinem creare voluerit S. Thomas probat q. 50. art. 3. quia cum Deus in creatione rerum perfectionem vniuersi intenderet, quod aliqua sunt perfectiora, eò in maiori excessu produci debuerunt, vel secundum magnitudinem ut cœli, vel secundum multitudinem ut substantiæ spirituales. Adde quod sicut terreni reges quo sunt potentiores. & di-

DE ANGELIS. CAP. III. 17
tiores, eò maiori seruorum, & militum
caterua stipati incedunt; Ita cum Deus
sit Rex regum, & Dominus domnantium,
cuius potestas est infinita, & immensa
maiestas, congruum fuit vt innumeram
Angelorum multitudinem crearet, qui
ipsi assisterent, eiusque iussa caperent.



CAPVT IV.

*Quid Possint Angeli circa res
corporeas.*

CONCLUSIO I.

Angeli non habent corpora sibi na-
turaliter vnita, interdum tamen as-
sumunt corpora. Prior pars probatur,
quia Angeli sunt substantiæ perfectæ: Po-
sterior ostenditur ex Scriptura quæ
Genes. 18. & 19. &c. introducit Angelos
ita apparentes hominibus, vt ab iis vide-
rentur, audirentur, & tangerentur; hæc
autem omnia saltem coniunctim specta-
ta, planè indicant, non fuisse visionem
imaginariam, sed alicuius corporis sub-
sensem cadentis.

Nota 1. Angelos posse assumere tum

corpora animata, vt patet in dæmoniacis, & in grege porcorum, de quo in Euangelio; tum à fortiori corpora mortuorum, cum hæc minùs resistent; tum corpora ex aëre, aliaue materia confecta, norunt enim condensare vapores, & exhalationes in modum nubium, aliorumque corporum consistentium, & impedire ne talis materia dissoluatur, aut diffluat: Non tamen concedendum est Angelos producere corpus aliquod ex nihilo, vt in eo appareant, cum talis productio soli Deo competat ex S. Thoma I. p. q. 45. art. 5.

Nota formationem illam corporum non excedere virtutem naturalem Angelorum. quare satis est quod dicamus, Deum ad illam concurrere tantum per influxum generalem; præsertim quia cum dæmones assumant corpora ob malos fines, non est conueniens dicere Deum, vt causam specialem, & propriam illis talia corpora præparare.

Nota 3. non esse rationem cur dicamus Angelos bonos & malos differre quoad materiam corporum assumptorum, cum eadem ad diuersos fines valere possit, vt patet, nam homines interdum similibus corporibus male vtuntur, aliàs benè; & dæmones nonnumquam

DE ANGELIS. CAP. IV 19
induunt corpora pulchra, ac majestatis
plena: quare sine fundamento dices bo-
nos ex cœlesti, malos verò ex terrestri
materia corpora conficere.

Nora denique ex Angelo, & corpore
non fieri vnum compositum per se, aut
vnum suppositum; quia ad primum, opus
esset quòd Angelus haberet rationem
formæ, & corpus materiæ. Ad secundum,
quòd corpus assumptum priuaretur pro-
pria subsistentia, & à subsistentia angeli
terminaretur, quod naturaliter est impos-
sibile, vt constat ex libro 2

CONCLUSIO II. Non potest
angelus in corpore assumpto exercere
actiones vitales quoad substantiam: eas
verò quæ sunt vitales quoad modum,
exercere potest quoad entitatem realem,
non tamen quoad modum vitalitatis.)
Prima pars ostenditur, quia cum An-
gélus non informer substantialiter, &
vitaliter corpus quod assumit sed tan-
tum per accidens illi coniunctus fit, sicut
motor mobili, hinc fit vt nequeat in tali
corpore exercere operationes vitæ; tales
siquidem operationes sunt vita actualis,
quæ potentiam vitalem, vitamque ra-
dicalem & substantialem necessariò sup-
ponit.

Præterquam quod ad operationem

vita exercendam, non tantum requiritur principium vitaliter informans, sed etiam corpus organis distinctum, & ritè dispositum ad actus vitales eliciendos. Hæc autem distinctio, & dispositio verè non habet locum in iis corporibus quæ ab Angelis assumi solent, sed tantum fictè & apparenter: quare repugnat quòd Angeli in eiusmodi corporibus exercent operationes verè, & substantialiter vitales.

Dices, generatio hominis est actio vitalis substantialiter; at potest Angelus in corpore assumpto generare hominem; ergo, &c. Respondeo minorem falsam esse, loquendo de potentia propria & perfectum propter rationes allatas, tum quia generatio de qua agitur, est processiva à viuento coniuncto in similitudinem naturæ. Qua autem ratione possit Angelus efficere vt homo generetur, explicat S. Doct. 1. p. q. 51. art. 3. ad 6.

Secunda pars probatur, nam ex Scriptura constat angelos in assumptis corporibus loqui, ambulare, comedere, aliasue operationes reales exercere, quæ quoad entitatem & substantiam magnam habent conuenientiam cum actionibus quas nos vitaliter exercemus, loquendo, ambulando, & comedendo.

DE ANGELIS. CAP. IV. 21

Tertia pars suadetur, quia vt prædictæ operationes fiant modo vitali, debent procedere à potentia vitali, & per certa instrumenta ad id à natura destinata: hoc autem non habet locum in casu de quo agitur, vt patet ex dictis; quare, etsi Angelus in corpore assumpto proferat fonos similes humanæ locutioni, non tamen propriè loquitur: sicut etiam impropriè comedit, aut ambulat, etsi cibos terat, & corpus quodam motu progressiuo cecat: istæ enim actiones proprie acceptæ, præter entitatem materialem, dicunt maximè ordinem ad virtutem quandam vitalem in membris existentem per quâ fiunt, & ad phantasiam per quam diriguntur; quare vt sic, tribui non possunt Angelis, quando in corporibus assumptis tale quid operari videntur. Vnde Angelus Raphaël Tobiaë 12. Videbar quidem (inquit) vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor; vbi verbum videbar, satis indicat manducationem illam non fuisse veram, sed tantum apparentem.

CONCLUSIO III. Angelus est in loco per præsentiam ad locum, seu per indistantiã suæ substantiæ à spatio in

quo est.) Ratio est, quia prius est quòd Angelus sit præsens spatio per substantiã suam, quam quòd virtutem suam spatio applicet, aut in eo operetur; ergo per suam substantiam primò est in loco, non autem per applicationem suæ virtutis, aut per operationem.

Confirmatur, nam Angeli beati sunt in cœlo empyreo, neque tanquam ibi sũt in loco per applicationem suæ virtutis, cum illud cœlum non moueant, nec probabiliter dici possit eos circa illud aliter operari, ergo sunt in eo per suam substantiam, & realem præsentiã.

Nota 1. Angelum non posse simul esse in pluribus locis totalibus & adæquatis, quia locus Angeli adæquatus est ille, qui toti ipsius perfectioni respondet, eique commensuratur. At non potest Angelus simul esse in pluribus eiusmodi locis, quia iam singula non essent adæquata & totalia, contra hypothèsim, & Angelus esset in maiori loco quàm ab ipso occupari possit, quod apertè repugnat.

Nota 2. posse tamen Angelum simul esse in pluribus locis partialibus & inadæquatis; quia cum Angelus sit spiritalis, & ad minimum spatium se totum reducere possit, vt infra dicemus, nihil impedire potest quin totius spatij quod oc-

DE ANGELIS. CAP. IV. 23

cupat, possit alias partes deserere, & alias occupare: oportet tamen vt eiusmodi loca partialia sint inter se cōtingua, quia aliàs ad ea simul occupanda substantia Angeli diuideretur à seipsa, quod planè est impossibile.

Nota 3. non repugnare quin plures Angeli simul sint in eodem loco per præsentiam substantialem, quia cum eorum substantia sit spiritualis & indiuisibilis, ea locum non occupat, adeoque vna non excludit aliam ab eodem loco.

Confirmatur, nam anima rationalis, quia est indiuisibilis, est simul in eodem loco cum corpore, ergo à fortiori poterit vnus Angelus esse in eodem loco cū alio Angelo. Constat etiam ex Euangelio, integram dæmonum legionem eiusdem hominis corpus simul occupasse.

CONCLUSIO IV. Non habet Angelus terminum paruitatis quoad locum, habet tamen magnitudinis.) Prima pars probatur, quia potest Angelus se reducere ad punctum, ita vt non sit extra illud: cū enim sit indiuisibilis, & partibus carens, neque corpus aliquod informet, nulla ratio est cur necessario debeat occupare locum quantum; & quamuis esset forma alicuius corporis, & vt sic deberet illi quodammodo commensurari

quoad locum, nihil tamen obesset quin ex se posset existere extra tale corpus, & in eo statu præsentiam suam ad paruum locum, imò ad punctum contrahere.

Secunda pars ostenditur, nam si Angelus nullum haberet terminum quoad locum, sequeretur eum esse in omni loco, & consequenter dæmones esse in cœlo, & Angelos beatos in inferno; hoc autem repugnat Scripturæ sacræ, ex qua satis constat Angelos venire, discedere, ab vno loco in alium migrare, quæ & similia nō bene diceretur si Angeli omnem locum occuparent. Deinde ex communi omnium Patrum sententia, proprium dei est omnem locum occupare, vnde à nonnullis Diuinitas Spiritus sancti probatur ex eo quòd sit vbique, ergo dicendum non est talem vbiquitatem alicui creaturæ de facto competere.

Nota non esse verisimile quòd possit Angelus tantum spatij occupare quoad longitudinem, quantum ex illo deserit, quantum ad latitudinem; cùm enim substantia illius sit perfectionis limitatæ, locus etiam illi naturaliter debitus, quoad omnem dimensionem limitatus esse debet. Vnde cum probabiliter Angeli præsentia, qua potest occupare spatium, sit ad
sphæram,

DE ANGELIS. CAP. IV. 25
sphaeram, maiorem, vel minorem iuxta
cuiusque proportionem, dici potest nul-
lum Angelum posse suam praesentiam
extendere ultra diametrum suae sphaerae,
etsi quoad latitudinem se ad lineam con-
trahat.

CONCLUSIO. V. Angeli pos-
sunt moueri localiter.) Probatum 1. ex
Scriptura sacra quatenus Tobiae 12. Ra-
phael ait tempus esse ut reuertatur ad eum
qui misit illum, & Lucae 1. Angelus Ga-
briël ingressus est ad salutandum beatam
Virginem, & postea ab ea recessit, & c. 2.
quia cum Angeli non sint ubique. sed in
loco certo, & determinato, dici nequit
quod non possint se transferre ab vno
spatio ad aliud. cum talis facultas rebus
multo inferioribus tribuatur.


Vbi nota Angelum ex communi sen-
tentia, posse moueri motu continuo,
quia licet substantialiter sit indiuisibilis
& partibus carens, habet tamen virtua-
lem quandam extensionem, ratione cuius
potest ad certam sphaeram spatij praesen-
tiam suam diffundere. sicque potest lo-
cum quem occupat paulatim relinquere,
& vicinum similiter motu continuo, &
non interrupto subire.

Potest etiam Angelus ex communiore
sententia, moueri motu discreto, ita sci-
de Angelis. B

licet vt eodem instanti temporis totum locum adæquatum deserat, & simul totum alium occupet; tum quia oritur ex imperfectione corporum, quòd sic moueri nequeant, quia nempe cum variis cõstent partibus, necessariò debent priores partes loci priùs occupare, quàm posteriores; tum quia potest angelus totum aliquem locum simul deserere, & permanere in puncto illius, quidni ergo simile spatium totum simul occupare poterit? atque ita talis motus fiet in instanti, & non transeundo per medium participans.

Hoc tamen non caret difficultate, quia ad primum dici poterit, non tantũ oriri ex diuisibilitate corporis, quòd non possit totum simul locum occupare, sed etiã & maximè, quia debet mobile priùs peruenire ad partes loci proximas, quàm ad remotas. Ad 2. vero non esse parem rationem, quia vt angelus totum locum deserat, se reducendo ad vnicum illius punctum, non requiritur medium: vt autem occupet partes remotas noui spatij, requiritur medium, quod proinde priùs traiciendum est, quàm perueniatur ad extremum. Vnde videtur angelum non posse transire de loco in locum, nisi transeundo per medium tam parti-

DE ANGELIS. CAP. V. 27
cipans, quàm non partipans : neque Angelum posse aliter moueri motu discreto, quàm in ipso motu successiuo, quo continuè mouetur, breues aliquas morulas interponendo.



CAPVT V.

De intellectu Angelico & eius speciebus.

CONCLUSIO I.

Angeli intellectio non est eius substantia, sed accidens ab ea realiter distinctum. (Probatur 1. quia Angelus est mutabilis ab intrinseco in actibus intelligendi, & non in substantia, ergo substantia Angeli non est actus intelligendi: antecedens probatur, nam Angelus beatus potest carere visione beatifica, aliisque intellectiōibus supernaturalibus, quæ proinde non sunt idem cū substantia Angeli; cumque intellectiōes istæ nobilissimæ sint superadditæ substantiæ, sint que accidentia, dici non potest quòd aliæ intellectiōes inferioris ordinis cum ipsa Angeli substantia identificentur.

B 2

Secundò non magis intellectio identificatur cum substantia Angeli, quàm eius volitio: at hæc cum illa non identificatur, vt patet, quia aliàs Angeli mali naturaliter essent mali. Neque dicas hinc tantùm sequi, aliquam intellectionem non identificari cum substantia Angeli. Nam si vna volitio distinguitur ab Angeli substantia, cur aliæ volitiones ab eadem non distinguuntur? quòd si omnes volitiones sunt distinctæ ab Angeli substantia, eique supperadditæ, idem à pari de omnibus intellectionibus affirmandum est.

CONCLUSIO II. Intellectus Angeli distinguitur ab illius substantia.) Probatum, quia cum experientia constet, res multas creatas præditas esse facultatibus accidentariis ad agendum, ignem calore, aquam frigore, &c. Idem est dicendum de aliis rebus creatis, adeoque de anima rationali. Itemque de Angelis, ita scilicet vt habeant intellectum realiter à substantia distinctum, & in ea radicatum; per quem vt principium proximum intelligant, & voluntatem per quam proximè actum volitionis eliciant.

Præsertim quia satis videtur durum, quòd eadem substantia creata, limitata, & composita simul sit formaliter intelle-

DE ANGELIS. CAP. V. 29

Etus volūtas, &c. cū identitas substantiæ intellectus: & voluntatis in Deo, maxime ratione suæ simplicitatis, & infinitatis constitui solet.

Nota in Angelo non esse intellectum agentem, & possibilem: siquidem proprium munus intellectus agentis est, fabricare species intelligibiles, easque educere ex phantasmatis; hoc autem competere nequit Angelis, cum sint incorporei, & phantasmata non habeant.

Deinde ille dicitur intellectus possibilis, qui in sui productione postulat ex se carere speciebus intelligibilibus, et si forte per accidens eas infusas habeat: at Angeli ex natura sua postulant species in creatione infusas, cū non possint eas vi sua naturali producere, & recipere ad modum animæ rationalis; quare in illis non est proprie intellectus agens, at possibilis.

CONCLUSIO III. Angelus indiget specie aliqua, ad intelligendas alias res creatas à se distinctas.) Probat, nam tribus tantum modis concipi potest, quod Angelus res prædictas intelligat, nimirum aut per suam substantiam, aut mediantibus quibusdam earum speciebus: at primus modus non est probabilis, cum Angelus non omnia quæ

intelligit, in sua substantia virtualiter cō-
tineat. Secundus verò refellitur, quia ex-
perientia constat res materiales non con-
currere per se immediatè ad visionem
corpoream, sed mediantibus speciebus,
vnde sequitur eas etiam per se effectiuè
non concurrere ad productionem intel-
lectionis siue humanæ siue Angelicæ,
cum hoc difficilius sit.

Nota species per quas Angeli intelli-
gunt, fuisse ipsis à Deo infusas in instā-
ti creationis; nam tribus tantum modis
concipi potest, eiusmodi species Ange-
lis competere, vel ita vt producantur ab
obiectis, vel ita vt naturaliter fluant ab
ipso intellectu Angelorum, vel ita deni-
que vt cum ipsis Angelis concreatæ sint.
At primum dici non potest, quia obiecta
materialia non habent vim producendi
effectum spirituales, quales sunt spe-
cies Angelicæ; aliunde verò non possunt
Angeli recipere species materiales, cum
in se sint omnino spirituales, neque ha-
beant corpora sibi naturaliter vnita. Nec
secundum, quia quæ incommoda seque-
rentur, si Angelus per suam substantiam
res omnes intelligeret, eadem occurre-
rent, si omnium rerum species ab illius
intellectu naturaliter fluerent. Vtroque
enim modo deberet virtualiter res om-
nes continere, adeoque esse infinitæ per-

DE ANGELIS. CAP. V. 31
fectionis; maxime cum Angelus non magis respiciat ut obiectum intelligibile, res aliquando existentes, quam possibiles nunquam futuras: sequitur ergo tertium, nempe species per quas Angeli intelligunt, ipsis esse in instanti creationis à Deo infusas.

CONCLUSIO IV. Possunt dari species aliæ aliis vniuersaliores in representando, & verisimile est eas quæ sunt vniuersaliores, perfectioribus Angelis de facto fuisse collatas.) Prior pars probatur primò quia essentia diuina per modum ideæ infinita representat, species autem intelligibiles sunt quædam participationes ideæ diuinæ; quare non repugnat quod multa representent in suo gradu, & ordine. Secundò quia, si potest dari species expressa plurium rerum representatiua, poterit & impressa; at illa est possibilis, & de facto darur in beatis, qui eodem actu quo vident Deum, vident etiam plures creaturas. Tertiò quia nulla ratio afferri potest, quæ ostendat efficaciter tales species repugnare.

Dices, si tales species essent possibiles, deueniri posset ad vnum aliquem Angelum, qui omnia intelligeret per vnicam speciem; quo si alius perfectior crearetur, ille omnia intelligeret sine vlla spe-


cie, adeòque per suam substantiam, quod admitti non potest. Respondeo id minime sequi, quia in ea hypothefi Deus Angelo prius existenti infunderet speciem Angeli de nouo creati, vnde illam haberet duas species per quas intelligeret; ac proinde non opus esset vt nouus Angelus omnia intelligeret per suam substantiam, quia posset habere vnicam speciem rerum inferiorum repræsentatricem.

Posterior pars ostenditur, quia etsi Deus in prima rerum creatione liberè operatus sit, certum tamen est eum valde congruenter omnia fecisse; quare cum Angeli non fuerint creati in mera potentia, ad intelligendas res creatas ab ipsis distinctas, sed variis speciebus intelligibilibus instructi fuerint, decuit vt illa infusio fieret iuxta proportionem naturalis perfectionis Angelorum, ita vt quo vnus Angelus est alio perfectior, eò intelligat per species simpliciores, & vniuersaliores.

Dices, quod cognoscitur in speciali, distinctius cognoscitur quam quòd cognoscitur in vniuersali; si ergo Angeli superiores cognoscunt per formas magis vniuersales, quàm inferiores, sequitur Angelos superiores habere scientiam

DE ANGELIS. CAP. V. 37

minus perfectā quā inferiores, quod est absurdum. Respondet S. Doctor. 1. p. 9. q. 7. art. 3. ad 2. cognoscere aliquid in vniuersali dici dupliciter. 1. ex parte rei cognitæ, vt si cognoscatur solum vniuersalis gradus rei, & sic cognoscere aliquid in vniuersali est imperfectius. 2. ex parte mediij cognoscendi, & sic est perfectius cognoscere aliquid in vniuersali perfectior enim est intellectus, qui per vnum vniuersale medium potest singula propria cognoscere quā qui non potest.



CAPVT VI.

Quid cognoscant Angeli.

CONCLUSIO I.

Angelus se cognoscit, idque per suā substantiam.) De primo non est difficultas secundum probatur, quia cū substantia angeli sit intimè vnita ipsius intellectui, eaque sit per se spiritualis, & intelligibilis, nulla ratio est, cur non possit angelus se per suam substantiam, absque specie media intelligere.

Quo loco duo breuiter obseruanda sunt 1. iam dicta intelligenda esse de

facto, nam si agatur de possibili, certum esse videtur Angelum se posse cognoscere per aliquam sui speciem; cum non repugnet talem aliquam speciem à Deo produci, & Angelo communicari. Confirmatur, quia quilibet Angelus habet species infusas aliorum Angelorum, per quas eos cognoscit: sicut ergo Angelus Gabriël habet speciē Michaëlis, ita nō repugnat quòd ipsemet Michaël suā ipsius speciem accipiat, & per eā se intelligat.

Observandum 2. etsi probabile sit Angelum non posse cessare ab actuali sui ipsius cognitione, non tamen id posse efficaciter probari; nam quod aliqui dicunt, omnia viventia habere propriam aliquam operationem, à qua nunquam cessant, non est magni momenti, quia hinc ut summum colligitur, Angelum nō posse abstinere ab omni operatione vitali, adeoque debere aut se, aut aliquid aliud necessario cognoscere: quòd autem debeat Angelus necessario hanc determinatam operationem vitæ exercere, neque ab ea unquam cessare possit, hoc sane deduci inde minimè potest; sicut neque ex eo quòd Angelus sit obiectum maxime sibi proportionatum, & semper præsens; idem enim dici posset, de aliis omnibus rebus quas potest Angelus intelli-

gere, quia cum habeat earum omnium species presentes, valdeque proportionatas, deberet esse continuo idque necessario in actu 2. intellectiois, respectu rerum omnium quas intelligere potest.

CONCLUSIO II. Vnus Angelus alium cognoscit & superior comprehendit inferiorem, non vice versa.) Prima pars non habet difficultatem, tum quia Scriptura inducit Angelos inter se colloquentes pugnantes, sibi que inuicem resistentes: tum quia Angeli constitunt unam quandam rempublicam ex variis gradibus & ordinibus constantem; tum denique quia cum Angeli sint spirituales, & intellectu præditi, habent quicquid requiritur ut unus alium cognoscere, & ab alio cognosci possit.

Secunda pars ostenditur, quia quilibet Angelus potest seipsum comprehendere, cum habeat vim intelligendi suæ naturæ proportionatam: ergo cum Angelus illo superior, ut naturâ; ita & vim intelligendi nobiliorem habeat, à fortiori ab eo comprehendere poterit. Quod intellige de comprehensione essentia, & proprietatum naturaliter ab ea manantium; nam quod spectat ad cogitationem cordis, quid de irrisentiendum sit, inferius dicetur. Quod vero attinet ad ea quæ per potentiam obe-

dientialem siue actiuam, siue passiuam ab Angelo, aut in Angelo super naturaliter fieri possunt, certum est ea à nullo Angelo quantumuis perfecto naturaliter comprehendi posse, propter improportionem quæ est inter intellectum cuiuscunque Angeli, & tale obiectum.

Tertia pars suadetur quia est eadem improportio inter vim intellectiuam inferioris Angeli, & essentiam Angeli superioris, quæ est inter eorum naturas: quia scilicet quælibet habet vim intelligendi proportionatam suæ naturæ: sicut ergo natura Angeli inferioris non adæquat naturam superioris, ita neque illius vis intellectiua eam adæquare potest, ac proinde fieri nequit quòd Angelus inferior superiorem comprehendat.

CONCLUSIO III. Angelus per sua naturalia Deum cognoscit.) Ita S. Thom. 1. p. qu. 56. art. 3. quod probat, quia Angeli sunt potentiores in cognoscendo, quàm homines; sed homines per sua naturalia Deum cognoscere possunt, iuxta illud Rom. 1. quod notum est Dei, manifestum est in illis, ergo multò magis Angeli.

Vt autem explicet modum quo Angeli Deum cognoscunt, Notat aliquid tripliciter cognosci posse 1. per suam essen-

DE ANGELIS. CAP. VI. 37

tiam, sicut si lux videatur in oculo 2. per ipsius speciem ab eo acceptam, ut cum videtur lapis. 3. per eiusdem similitudinem ab alio in quo resultat, acceptam, ut cum homo videtur, in speculo. Ait ergo primæ cognitioni assimilari cognitionem, quia Deus per essentiam videtur scilicet à Beatis, tertiæ verò eam, quam in hoc statu habemus de Deo per creaturas, in quibus relucet, & secundæ cognitionem quam Angelus naturaliter de Deo habet; videns enim suam essentiam, quæ est quædam Dei imago sibi impressa, per illam in cognitionem Dei assurgit.

Dices 1. cognitio naturalis Angeli non est discursiva, at cognitio Dei ex creaturis est discursiva. Respondeo minorem in Angelo esse falsam, quia eodem actu quo Angelus seipsum cognoscit, videt se non esse, à se, seu à supremo aliquo ente pendere.

Dices 2. si Angelus per suam substantiam Deum cognosceret, de eo non haberet nisi valde confusam cognitionem. Respondeo. Angelum per suam substantiam, imò per cognitionem cuiuscunque creaturæ clarè Deum cognoscere, quoad an est, etsi non quoad, quid est.

CONCLUSIO IV. Cognitio rerum materialium, & singularium est in

Angelis) Ut hoc clariùs percipias nota, circa eiusmodi cognitionem aliquid esse certum, & aliud de quo controuertitur. Certum est. 1. Angelum res materiales & singulares cognoscere. 2. talem cognitionem esse claram & distinctam, imò & comprehensiuam, quia cum Angelus seipsum, Angelosque inferiores possit cõprehendere nulla ratio est. cur nõ possit etiã cõprehendere res materiales quoad earũ essentias, & virtutes ipsã naturaliter inditas. 3. certum est cognitionẽ rerum materialium naturaliter Angelis competere; cum enim homines eas naturaliter cognoscant, verisimiliter dici non potest, vim intellectiuam naturalem Angelorum ad eas non posse pertingere; præsertim cum ex Scriptura non tantum constet, bonos Angelos cognoscere materialia, sed etiam malos, quibus probabiliter dici nõ potest cõferri lumẽ aliquod supernaturale, ad percipiẽda eiusmodi objecta. 4. Angelos nõ cognoscere res materiales, & singulares per solã earũ præsentia sine specie, aut per earũ species ab ipsis objectis acceptas, sed per species à deo infusas.

Verum cum duobus modis intelligi possit, rerum species fuisse Angelis à Deo concessas, nempe aut totas simul in instanti creationis, aut successiuẽ prout ob-

iecta successu temporis existunt, fiuntque apta ut intuitiue cognoscantur. Dubium est utro ex his modis concessæ fuerint Angelis species rerum materialium. Missis autem controuersis, tenenda est sententia affirmans, species omnes fuisse simul Angelis in instanti creationis à Deo infusas. Quod vel inde probatur, quia non apparetatio, cur Angeli successiue debeant accipere species rerum materialium, nisi eiusmodi rerum existentia expectanda sit: at quod illarum existentia expectanda non sit, patet, quia non sumunt ab illis species, sed à Deo, quare multo congruentius est quod eas simul, idque in instanti creationis, accipiãt.

Nota species Angeli concreatas esse ex se veluti indifferentes ad representandam rem, vel abstractiue, vel intuitiue, easque à rei præsentia obiectiue determinari, ut rem intuitiue, seu tanquam existentem, & actu præsentem referant: adeò ut licet obiectum existens, non immittat nouas species, aut aliter non concurrat effectiue ad intellectiōnem, sit tamen conditio sine qua ipsius species non habet vim ducendi intellectum in cognitionem illius intuitiuam.

CONCLUSIO V. Potest An-

gelus naturaliter certò cognoscere effectus ex solis causis naturalibus contingenter futuros, non autem eos qui ex libero arbitrio contingenter futuri sunt.) Prima pars probatur, quia eiusmodi effectus, sunt determinati in suis causis, ergo possint certò cognosci ab Angelo, non minus quàm ij qui ex necessitate à causis naturalibus oriuntur. Neque refert quòd effectus illi contingentes possunt impediri ab aliis causis naturalibus, nouit enim Angelus eos per eiusmodi causas, quarum vim pefectè cognitam habet, nequaquam impediendos.

Secunda pars est certa ex fide, vt omnes communiter colligunt ex verbis illis Isaiaë 42. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis. Ratione autem ostenditur, quia operationes ex libertate futuræ non possunt cognosci ab Angelo in suis causis, cum hæ sint indifferetes ad vtrumlibet, neque in seipsis, quia rem quæ nondum existit, intellectu attingere, eamque vt aliquando in seipsa erit cognoscere, hoc proprium est intellectus infiniti, & æterni qui suo obtutu potest anteuertere omnes temporum differentias.

Dices, Angelus habet species concreatas futurorum cõtingentium, quare ergo

DE ANGELIS. CAP. VI. 41

non poterit ea cognoscere? Respon-
deo, quia non representantur Angelo ut
hic, & nunc pro tali tempore futura, sed
tantum simpliciter, & abstractè ut sunt
possibilia.

CONCLUSIO VI. Angeli non
cognoscunt de facto cogitationes cor-
dium, nisi dependenter à voluntate alte-
rius.) Probat, quia talis cognitio soli
Deo tribui solet, ut cum dicitur 2. Pa-
ralipomenon 6. Tu enim solus nosti
corda filiorum hominum, & Ieremiæ 17.
Pravum est cor hominis & inscrutabile,
quis cognoscet illud? Ego Dominus scru-
tans cor, & probans renes. Dubium est au-
tem 1. utrum Angeli possint naturaliter
cognoscere cogitationes cordium 2. si
possunt, unde oritur quod eas de facto
non cognoscant.

Respondeo 1. cognoscere secreta cor-
dium per se loquendo, non superare fa-
cultatem naturalè Angelorum, ut patet,
tum quia Angelus naturæ vi cognoscit
nostrum intellectum, & species in eo re-
ceptas, nostramque voluntatem, quidni
ergo poterit naturaliter cognoscere actum
ab eis elicatum, si sit naturalis ordinis ve
supponimus? tum quia Angelus maiori
intelligendi vi præditus est, quàm ho-
mo: at homo suos actus internos intel-

lectus. & voluntatis intelligit. Quare ergo eisdem actus non poterit Angelus virtute naturali intelligere? Tum denique quia Angelus cognoscit meas cogitationes, quando consentio; at meus consensus non auget facultatem naturalem intellectus Angelici, neque alio modo efficit ut sit magis proportionatus ad intelligendas meas cognitiones quam antea.

Respondeo 2. idcirco Angelum non posse cognoscere humanorum cordium cogitationes, quia licet habeat species earum, neque superet illius facultatem eas cognoscere. Deus tamen ob suauem suæ prouidentia, in creaturæ rationalis gubernatione dispositionem, non vult cum illo concurrere ad earum cognitionem, nisi quando homo consentit, ut ipsi innotescant. Non enim apparet, ex quo alio capite oriri possit prædicta impossibilitas.

CONCLUSIO VII. Angeli naturæ viribus cognoscunt mysteria, quæ sunt tantum supernaturalia quoad substantiam: probabile tamen est Angelis communicatam fuisse in via, cognitionem aliquam mysterij Incarnationis.) Prima pars probatur, quia oculus cæco restitutus, est ens naturale quoad substantiam,


DE ANGELIS. CAP. VI. 43

ergo vt sic potest naturaliter ab Angelo cognosci, non minùs quàm si per generationem productus esset. Imò non tantum, cognoscit Angelus visum miraculosè restitutum, quoad id quod naturale habet, sed etiam aliquo modo, & confusè quoad id quod habet supernaturale; quia intelligit eum miraculosè, & non per vires naturæ restitutum esse, cum à potentia ad habitum naturaliter non detur regressus.

Secūda pars ostenditur, quia res in substantia supernaturales, quales sunt gratia sanctificans, virtutes Theologicae, &c. quoad propriam entitatem sunt supra ordinem rerum naturalium, adeoque vt sic excedunt vires naturales intellectus Angelici, eique sunt improporionatae; quare non potest angelus propriis viribus eiusmodi obiecta intelligere. Vnde collige non omnes species entium ab Angelo naturaliter cognosci posse, ac proinde totum ens creatum non esse obiectum cognitionis Angelicæ. Neque dicas supernaturale distingui à naturali, per comparisonem duntaxat ad agens: hoc enim falsum est, quia etsi supernaturale habeat causam supernaturalem, differt tamen per se à naturali, vt patebit ex lib. 4. ac proinde etiam vt sic excedit facultatem naturalem intellectus Angelici.

44 TRACTATUS

Tertia pars est S. Thomæ infra qu. 4. art. 1. ad 4. potestque ex eo probabiliter suaderi, quia ex communi sententia, boni Angeli per fidem supernaturalem sunt adepti beatitudinem, sicut & nos illam assequimur: talis autem fides verissimiliter versabatur nõ modo circa mysterium Trinitatis, sed etiam circa mysterium futuræ Incarnationis: quia cum Christus esset futurus caput Angelorum, eorumque Iudex, æquum erat ut ipsi ex tunc eum cognoscerent, & in eum crederent; præsertim si vera eorum est sententia, qui non sine fundamento aliquo existimant, gratiam & gloriam fuisse Angelis collatam ex meritis Christi præuis.



CAPVT VII.

Quo modo cognoscant Angeli.

CONCLUSIO I.

Probabile est Angelum posse multa simul intelligere, siue simul sumatur pro eodem actu, siue pro eodem tēpore.) Primum patet, supposito quòd Angelus

DE ANGELIS. CAP. VII. 45

habeat species vniuersales quæ plura representant, vt superius diximus; si enim Angelus habet verbi causa, vnam speciem quæ simul representet Bouem, & Equum, nulla est ratio cur non possit vti tali specie ad intelligendum simul, seu eodem actu Bouem, & Equum.

Secundum etiam perspicuum est in actibus diuersi ordinis: Angelus enim beatus deum, videt, & seipsum, ac res creatas simul, id est, eodem tempore, & per actus distinctos intelligit. Idem patet in actibus eiusdem ordinis, cum nulla ratio sit cur possit Angelus simul actu supernaturali deum cognoscere, & seipsum, vel aliquid aliud actu naturali; non possit autem duos actus naturales intellectus simul elicere, quorum altero, verbi causa Angelum, altero hominem cognoscat.

Confirmatur, nam non est difficilius, quod Angelus eodem tempore duo obiecta intelligat, per duas species, quam quod seipsum intelligat per suam substantiam gerentem vices speciei, & simul aliquid aliud obiectum per speciem illius intelligat. At omnium consensu potest posterius, maxime in eorum sententia qui existimant, Angelum à sui cognitione cessare non posse, ergo prius illi me-

rito negari non potest.

Dices species intelligibiles sunt proportionatæ virtuti intellectiuæ Angelorum, ergo poterit Angelus tantum cognoscere quod repræsentatur per vnâ speciem. Respondeo hoc ad summum verum esse, si Angelus totam suam vim intellectiuam offendat in vsu vnus speciei; nihil autem vetat quin habens, verbi causa, duas species vniuersales, illis inadæquatè vtatur, ad eoque simul variis actibus feratur in partialia vtriusque obiecta.

CONCLUSIO II. Angelus propriè non discurret circa obiecta naturalia, quorum propriam habet speciem: probabile tamen est eum discurrere circa supernaturalia, & alia quæ euidenter non cognoscit.) Prima pars probatur, quia discurrere est ab vna cognitione transire ad aliam, ita vt vna cognitio sit causa alterius: atqui iste transitus non reperitur in cognitione quam habet Angelus de rebus naturalibus, quarum proprias habet species; siquidem per eandem speciem ipsi in actu primo repræsentantur essentia rei, & proprietates illius: quare vnico intuitu, eodemque actu potest tam has, quàm illam percipere, ad eoque sine discursu.

Confirmatur, nam cum ex communi sententia, Angelus habeat species representantes diuersas naturas, quidni poterit habere species quæ simul representent naturam aliquam, & proprietates illius: aliunde verò verisimiliter dici nō potest quòd species representans naturam aliquam, illiusque proprietates, excedat virtutem actiuam intellectus Angelici; quare etiam negari nequit, quin Angelus vnico actu, atque adeò sine discursu feratur circa obiecta naturalia, quorum propriam habet speciem.

Secunda pars ostenditur, quia ibi est discursus, vbi vna cognitio deducitur ex alia, & ab ea causatur; at hoc contingere potest in materia de qua agimus, vt patet quando dæmon ex eo quòd videt Christum esse hominem, colligit eum nō esse Deum; aut si videns mortuum, iudicet eum non resurrecturum: tunc enim reperitur deductio vnus cognitionis ex alia, & istæ cognitiones haud dubiè sunt distinctæ, cum vna sit vera, & altera falsa. Potest ergo Angelus propriè discurrere circa supernaturalia.

Nota, vt primum sit hominis ratiocinari, & discurrere, non Angeli, satis esse quòd Angeli quoad cognitionem rerum naturalium, quarum habent species concreatas, non discurrant; sed tanta

tanta vi polleant, vt vnico & simplici intuitu videant in obiecto, quicquid in eo cognosci potest: talis enim modus intelligendi longè superat facultatem naturalem hominis, cum tamen angelo sit valde connaturalis.

CONCLUSIO III. Angeli plerumque intelligunt sine compositione & diuisione, non tamen semper.) Hoc ita explico, in primis certum est angelum multa cognoscere non componendo, vt cum, verbi causa, per speciem hominis perfectè cognoscit, & iudicat hominem esse animal rationale. Nam cum distinctè cognoscat essentiam & quidditatem hominis eodem actu videt attributum nõ distingui à subiecto, proindèque quando dicit vnum esse aliud, hoc non facit componendo, sed vnico simplici intuitu.

Potest etiam angelus ex hypothese quòd habeat species vniuersales repræsentantes varias naturas verbi causa, Equum, & Leonem, simplici intuitu & sine vlla formali diuisione iudicare, Equum non esse Leonem: cum enim per eandem speciem repræsentetur clarè vtraque natura, tam secundum prædicata communia, quàm secundum propria, vtque vna ab altera distinguitur, possitque angelus vnico actu adæquare totã vim talis speciei,

cici,


DE ANGELIS. CAP. VII. 49
ciei, & percipere distinctè omnia &
singula illius obiecta, idem facile pote-
rit eodem intuitu quo cognoscit Equum,
& Leonem, simul iudicare vnum non
esse alium.

Secundò certum videtur, Angelos vti
diuisione, & compositione quando co-
gnoscunt res ineidenter, seu quarum
non habent proprias species: tunc enim
formant vnum conceptum de subiecto,
cùmque illud non penetrant, adeoque
clare & eodem intuitu non percipiant,
quæ possunt attribui, vel ab eo remoueri,
neesse est, vt si quid de eo affirmant aut
negant, id fiat per distinctum conceptum;
& consequenter componendo, aut diui-
dendo.

Hinc cùm nequeat Angelus certò co-
gnoscere, an Petrus sit cras peccaturus,
nec ne, si affirmat eum peccaturum,
hoc fiet cum aliqua conceptuum com-
positione; si verò neget eum peccaturum,
id fiet cum diuisione, & sic de aliis.

de Angelis

C



CAPVT VIII.

*De voluntate Angelicâ & eius
actionibus.*

CONCLUSIO I.

IN Angelis est voluntas, & liberum, arbitrium, non tamen appetitus irascibilis.) Ita S. Thomas 1. p. q. 59. Primum probat art. 1. in hunc modum. In iis est voluntas qui habent inclinationem ad ipsum bonum vniuersaliter apprehensum, talis siquidem inclinatio est voluntas; sed Angeli inclinantur ad ipsum bonum vniuersaliter apprehensum, quatenus sunt creaturæ intellectuales, ergo in iis est voluntas. Probatur minor, nam quælibet res inclinatur ad bonum, sed cum discrimine, quædam enim inclinantur in bonam per solam naturalem habitudinem, sine cognitione, vt plantæ & talis inclinatio vocatur appetitus naturalis; quædam verò inclinantur ad bonum cum aliqua cognitione, non quidem sic vt cognoscant ipsam rationem boni in communi, sed ita vt tantum cognoscant

DE ANGELIS. CAP. VIII. 51

aliquod bonum particulare, sicut sensus qui cognoscit dulce; & album; & inclinatio hanc cognitionem sequens dicitur appetitus sensitivus: alia denique inclinatur ad bonum, cognoscendo ipsam rationem boni, & hæc cognitio est propria intellectus, quam sequitur inclinatio in bonum ipsam vniuersale, quæ est voluntas.

Secundum probat art. 3. tum quia liberum arbitrium est in hominibus, ergo multò magis in Angelis: siquidem libertas pertinet ad perfectionem, Angeli autem sunt perfectiores hominibus: tum quia in eo est liberum arbitrium, quod potest agere ex iudicio libero, atqui Angeli possunt agere ex iudicio libero, quia cum sint intelligentes, cognoscunt vniuersalem rationem boni ex qua possunt iudicare hoc vel illud esse bonum; ergo habent liberum arbitrium.

Confirmatur, nam sunt nonnulla quæ non habent liberum arbitrium, quia non agunt ex aliquo iudicio, sed quasi ab aliis acta, & mota sicut sagitta à sagittante mouetur ad scopum: aliqua vero agunt ex quodam arbitrio, sed non libero, sicut animalia irrationalia. Ovis enim fugit Lupum, ex quodam iudicio minimè libero, sed à natura determinato, quo exi-

stimat cum sibi esse noxium, adeoque non habet liberum arbitrium. Contra ergo quia in Angelis est liberum iudicium, in his etiam est liberum arbitrium, idque nobiliori modo quam in hominibus, cum perfectiori intellectu præditi sint.

Tertium probat art. 4. quia in Angelis est solus appetitus intellectivus, ille autem non diuiditur in irascibilem, & concupiscibilem: siquidem potentia non distinguuntur per materialem distinctionem obiectorum, sed solum secundum diuersam formalem rationem eorum, ut patet in visu qui non distinguitur in varias potentias secundum diuersitatem colorum, quia fertur in colorem secundum rationem communem coloris: atqui appetitui intellectivo respondet vnum obiectum secundum vnam rationem formalem communem, scilicet bonum in ratione boni: ergo appetitus Angeli non distinguitur in irascibilem, & concupiscibilem.

CONCLUSIO II. In Angelis est dilectio naturalis, & electiua.) Vtraque pars est S. Thomæ 1 p. q. 60. Priorem autem probat art. 1. quia prius semper saluatur in posteriori, natura autem prior est quam intellectus, quia natura

DE ANGELIS. CAP. VIII. 53
cuiusque rei est essentia eius : vnde id
quod est naturæ, oportet saluari etiam in
habentibus intellectum ; est autem hoc
commune omni naturæ, vt habeat ali-
quam inclinationem : quæ est appetitus
naturalis vel amor, diuersimode tamen
secundum cuiusque modum ; & quidem
in natura intellectuali secundum volun-
tatem, in sensitiua, secundum appetitum
sensitiuum, in natura verò carente co-
gnitione, secundum ordinem naturæ in
aliquid: cum ergo Angelus sit naturæ
intellectualis, oportet quod in voluntate
eius sit naturalis dilectio.

Posteriorem probat art. 2. tum quia
Angeli sua dilectatione aliquid meren-
tur, vel demerentur, non naturali, ergo
electiua; tum quia hoc nullam in Ange-
lo dicit imperfectionem, vt patet, quia
actus appetitiuæ virtutis, est secundum
ordinem appetentis ad res, quarum ali-
quæ sunt secundum se appetibiles vt finis,
aliæ tantum per ordinem ad aliud, vt
media. Vnde non oritur ex imperfectio-
ne appetentis, quod naturaliter aliquid
appetat vt finem, & aliquid per electio-
nem vt media: ac proinde nihil vetat,
quin ponatur in Angelis dilectio non
modo naturalis, sed etiam electiua.

Nota 1. ex art. 3. Angelum seipsum

diligere dilectione naturali, & electiua, quia res quaelibet etiam cognitione carens, naturaliter appetit consequi id quod est sibi bonum, sicut ignis locum sursum. Vnde Angelus, & homo naturaliter appetunt suum bonum, & suam perfectionem: cumque sibi velle bonum sit amare seipsum, consequens est Angelum seipsum dilectione naturali diligere. Quia verò aliunde Angelus sibi desiderat aliquod bonum per electionem, hinc seipsum amat dilectione electiua.

Nota 2. ex probabiliori sententia, Angelum se liberè amare quoad exercitium, si enim potest abstinere ab actuali sui ipsius consideratione, vt supra ostensum est; consequenter potest seipsum actu non diligere; cum impossibile sit vt se actu diligat, quin actu de se cogitet.

CONCLUSIO III. Vnus Angelus naturaliter alium diligit sicut seipsum, & Deum plusquam seipsum.) Priorem partem tradit. S. Tho 1. p. q. 60. art. 4. quia cum Angelus naturaliter diligat seipsum, consequenter diligit id omne eum quo est vnum in naturalibus. Atqui omnes Angeli sunt vnum in natura, cum conueniant in eodem genere, ergo vnus alium naturaliter diligit tanquam seipsum; ita scilicet vt hæc particula, tan-

DE ANGELIS. CAP. VIII. 55
quam, significet multitudinem, nō æqualitatem. In quantum tamen vnus Angelus conuenit cum altero in quibusdam aliis, vel in quantum vnus ab altero differt, sic non diligit eum dilectione naturali.


Nota, amorem quo vnus Angelus alium diligit ratione naturæ, esse necessarium quoad specificationem, quia sub eo respectu non potest eum odio habere; non tamen esse necessarium quoad exercitium, quia si Angelus potest cessare ab amore actuali quo seipsum diligit, multò magis poterit abstinere ab amore naturali quo aliūp̄rosequitur; cum propria bonitas & perfectio, sit illi magis intrinseca, adeoque magis proportionata, vt cum in sui amorem necessariò rapiat, quàm bonitas cuiusuis alterius Angeli, quantumuis perfecta sit.

Posteriorem verò partem tradit art. 5. & probat 1. quia omne illud quod secundum id quod est alterius, est, naturaliter magis inclinatus in id cuius est, quàm in seipsum: sed Angelus secundum id quod est, Dei est, ergo, &c. Maior ostenditur exemplo rerum ratione carentium, quæ magis inclinantur in id cuius sunt, quàm in se ipsas; manus enim se exponit ictui absque deliberatione, pro conseruatione

suppositi. 2. quia si Angelus plus se-
quàm Deum naturaliter diligeret. seque-
retur naturalem illius inclinationem esse
peruersam. Item naturalem dilectionem
per charitatem non perfici, sed potius
destrui, quia scilicet charitas inclinatur
ad Deum magis amandum quàm se.

Nota 1. amorem amicitiae quo An-
gelus naturaliter Deum diligit, esse ne-
cessarium quoad specificationem, quate-
nus non potest Angelus considerans,
Deum esse ens summè bonum, infinite
perfectum, ac per se amabile, in illum
ferri actu odij. 2. talem amorem non es-
se necessarium quoad exercitium, quia
Angelus cognoscendo se, veluti reflexè
cognoscit Deum: sicut ergo non se co-
gnoscit necessariò quoad exercitium, ita
nec Deum, ac proinde ab actuali illius
amore vacare potest. Et idem dici potest
de amore concupiscentiae.





CAPVT IX.

De merito Angelorum.

CONCLUSIO I.

Angelus beatus suam beatitudinem meruit.) Hoc probat S. Doct. eadem q. art. 4. tum ex Apocal. 21. vbi dicitur, quod mensura Angeli in illa cœlesti Hierusalem est mensura hominis, sed homo ad beatitudinem pertingere non potest sine merito, ergo neque Angelus: tum quia Angelus aut habet beatitudinem, quia est ei naturalis, aut eam consequitur per naturalem suam operationem, aut ex merito; at primum dici non potest, quia naturaliter esse beatum conuenit soli Deo, in quo idem est esse, & beatum esse, nec secundum, quia beatitudo excedit vires naturæ: ergo tertium verum est, nempe beatitudinem Angelo per meritum competere.

Nota r. ex art. 5. Angelum statim post unum actum meriti beatitudinem habuisse, quia gratia perficit naturam secundum modum naturæ. Est autem hoc proprium

naturæ Angelicæ, quòd naturalem perfectionem non per discursum acquirat, sed statim per naturam habeat: sicut autem ex sua natura Angelus habet ordinem ad perfectionem naturalem, ita ex merito habet ordinem ad gloriam & ita statim post meritum consecutus est gloriam; cùmque per vnicum actum possit mereri, sequitur quòd statim post vnum actum charitate formatum, beatus fuit.

Hæc sententia est difficilis quatenus docet, motam qua Angeli fuerunt viatores, non durasse nisi per vnicum instans: siquidem etiam mali fuerunt creati in gratia, & ad eam per bonos actus se disposuerunt, non secus ac boni, per peccatum verò exciderunt à gratia; atqui prædicti actus boni non potuerunt esse simul, & in eodem instanti cum actu peccati; quare necesse est via malorum Angelorum, saltem per breuissimum aliquod tempus durauerit. Et idem dicendum de via bonorum; cùm nulla sit ratio cur boni beatitudinem adepti sint, priusquàm mali æternis suppliciis addicti fuerint.

Nota 2. ex art. 6. Angelos consequutos esse gratiam, & gloriam secundum quantitatem suorum naturalium, quod probatur 1. ex parte Dei. Nam Deus condidit per suam sapientiam, naturam An-

gelicam secundum diuersos gradus, & ipsam ordinauit ad beatitudinem; ergo & diuersos gradus eiusdem naturæ ordinauit ad diuersos gradus gratiæ & gloriæ: sicut enim ædificator construens domum, ex hoc quòd aliquos lapides pulchrius & decentius aptat, videtur eos ad honoratiorem partem domus ordinare; sic etiam videtur, quòd Deus Angelos quos altioris naturæ fecit, ad maiora gratiarum dona & ampliorem beatitudinem ordinauerit.

Secundò ex parte ipsius Angeli. Nam Angeli supposito gratiæ auxilio, iuxta dicta in præcedenti conclusione, toto conatu in Deum feruantur, quia non componuntur ex diuersis naturis, quarum vna impetum alterius retardet, vt fit in nobis; ergo qui meliorem habent naturam, & virtutem, efficiùs ferantur in Deum: at secundum intentionem conuersionis in Deum, datur maior gratia, & gloria etiam in hominibus: ergo Angeli qui nobiliorrem habuerunt naturam, maiorem habuerunt gradum gratiæ, vel gloriæ & sic secundum gradum naturæ, datur gradus gratiæ, vel gloriæ.

CONCLUSIO II. In Angelis beatis remanet cognitio, & dilectio naturalis, illi tamen peccare nequeunt, vel


in beatitudine proficere.) Primam partem probat S. Doctor art. 7. quia sicut se habent principia operationum ad inuicem, ita se habent & operationes ipsæ. Manifestum est autem, quod natura ad beatitudinem comparatur, sicut primum ad secundum, quia beatitudo naturæ additur: Semper autem oportet saluari primum in secundo, vnde oportet vt natura saluetur, in beatitudine; & similiter actus naturæ in actu beatitudinis.

Secundam probat art. 8. quia beatitudo Angelorum in eo consistit, quod per essentiam vident Deum: essentia autem Dei est ipsa essentia bonitatis, vnde hoc modo se habet Angelus videns Deum, ad ipsum, sicut se habet quicumque non videns Deum, ad communem rationem boni. Impossibile est autem quòd aliquis quidquam velit vel operetur, nisi attendens ad bonum, vel quod velit diuertere à bono, in quantum eiusmodi: Angelus igitur beatus non potest velle, vel agere nisi attendens ad Deum: sic autem volens, vel agens non potest peccare; vnde Angelus beatus nullo modo peccare potest.

Tertiam probat art. 9. tum quia mereri & proficere pertinet ad statum viæ; Angeli autem beati non sunt viatores, sed

comprehensores; tum quia sic vnaquæque creatura rationalis à Deo produci-
tur ad finem beatitudinis, vt etiam ad
determinatum beatitudinis gradum ex
prædestinatione Dei perducatur; vnde
consequuto illo gradu, ad altio-
rem transire non potest.

Nota 1. ex responsione ad 3 posse au-
geri Angelorum gaudium; de salute eorū
qui per eorum ministerium saluantur,
iuxta illud Lucæ 15. Gaudium est An-
gelis Dei, super vno peccatore poenitentiam
agente. 2. hoc gaudium ad præmium
accidentale pertinere, quod quidem au-
geri potest vsque ad diem iudicij. 3. An-
gelos non mereri propriè eiusmodi gau-
dium, sed potiùs illud acquirere ex vir-
tute beatitudinis; quia beatus nullo mo-
do mereri potest, nisi simul sit viator &
comprehensor, vt fuit Christus.



CAPVT X.

*De locutione Angelica &
illuminatione.*

CONCLUSIO I.

VNUS Angelus alteri loquitur.] Ita S. Thomas 1. p. q. 107. art. 1. quod probat, tum ex verbis illis 1. Corint. 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, tum quia hinc non agitur de locutione corporea, sed de spiritali, quæ in eo posita est, quod quis ordinet suum conceptum ad hoc vt innotescat alteri; atqui potest vnus Angelus per imperium voluntatis ordinare suum conceptum, ad hoc vt alteri Angelo innotescat; ergo potest vnus Angelus loqui alteri.

Nota circa hanc rationem, vnum esse certum, & aliud de quo controuertitur, certum est requiri ad locutionem, vt qui loquitur alteri, ad eum verbum suum dirigat, siquidem aliud est dicere apud se, & aliud loqui alteri: nam vt apud se aliquis dicat, satis est si apud se verbum & conceptum producat: vt verò dicat al-

teri, necesse est ut conceptum suum ad eum dirigat, eumque ita exponat, ut ab eo percipi velit; alias ficta, aut frustra-nea erit ea locutio, ut dum quis alloquitur inanimata: imò licet qui dicit, percipiatur ab alio, potest asserere se non loqui illi, si ad eum verbum suum non ordinet.

Grauis autem dubitatio est, an sufficiat ad locutionem, quod vnus angelus conceptum suum ad alium dirigat. Non pauci negant sufficere, adeoque existimant angelum loquentem alteri, debere illi conceptum suum indicare per signum aliquod siue spirituale, siue materiale. Alii tamen melius affirmant, partim quia ex communi sententia nihil possunt angeli actione transeunte immediate efficere præter motum localem, possunt etiam inter se loqui in vacuo, & quamuis ab aliis præsentibus non intelligantur; partim quia cum cogitationes cordis ex se possint naturaliter ab angelo cognosci, ut superius ostendimus, tantumque requiratur ut Deus ad earum cognitionem cum illo velit concurrere, hinc sanè consequens est, Angelos loqui eo ipso quod velint conceptum suum aliis innotescere, sicut iuxta modos allatos angelus alteri loquitur, quatenus format aliquid per quod vult concep-

tum suum ipsi innotescere. Neque in hoc est aliqua difficultas, suppositâ prædictâ sententiâ vt intuenti perspicuum fiet.

Ex hac autem conclusione colligitur
 1. Angelum inferiorem posse loqui superiori. 2. quemlibet Angelum posse loqui Deo. 3. localem distantiam non impedire, quominus vnus Angelus loquatur alteri. 4. vnum posse loqui alteri, etsi ab aliis non intelligatur.

CONCLUSIO II. Vnus Angelus illuminat alium.) Ita S. Thomas. p. q. 106. art. 1. quod probat, tum ex Dionys. cap. 8. Cœlest. Hierarchiæ: vbi ait, Angelos secundæ Hierarchiæ purgari, illuminari, & perfici per Angelos primæ; tum quia qui manifestat alteri veritatem quâ ipse cognoscit, dicitur eum illuminare; sed vnus Angelus manifestat alteri veritatem quam ipse cognoscit, vt patet ex eodem Dionysio cap. 7. lib. cit. ergo vnus Angelus illuminat alium.

Nota 1. illud esse discrimen inter locutionem, & illuminationem Angelorum, quòd locutio est manifestatio cuiuscunque veritatis, illuminatio autem est manifestatio veritatis ad Deum ordinatæ vt tradit S. Doctor 1. p. q. 107. art. 2.

Nota 2. veritates naturales non esse

DE ANGELIS. CAP. X. 65


materiam illuminationis, vt indicat S. Thomas q. 109 art. 3. ad 2. quia scilicet omnes angeli habent perfectam cognitionem rerum omnium naturalium.

Nota 3. ex q. 106 art. 2. ad 1. vnum Angelum eodem actu alium illuminare, purgare, & perficere, nam quatenus illi veritatem aliquam manifestat, dicitur eum illuminare; quatenus à nescientia liberat, purgare, perficere verò quatenus perducit ad finem intellectus, qui est veritatis cognitio.

Nota 4. ex art. 3, quòd licet Deus interdum operetur, præter ordinem in rebus corporeis positum, quia per hoc perducitur homo in maiorem Dei cognitionem: nunquam tamen ordinem in spiritualibus substantiis constitutum prætermittit, quia cum operationes earum hominibus non innotescant, non potest illius præmissio ad maiorem Dei notitiam conducere: quare angeli inferiores semper illuminantur per superiores, & non vice versa, quod intellige nisi in casu aliquo extraordinario.

Nota vltimò quod ait S. Doctor art. 4. Angelum superiorem illuminare inferiorem de omnibus, quæ ipse nouit, non esse sic accipiendum, vt Angelus superior

inferioribus veritates manifestet, statim atque ipsam cognitionem acquirit, sed ita ut quicquid reuelatur, Angelo superiori, ipse pro loco & tempore inferioribus declaret, seu quando id expedire iudicat.



CAPVT XI.

De demerito & peccato demonum.

CONCLUSIO I.

Malum culpæ potest esse in Angelis. Ita S. Thm. 1. p. q. 63. art. 1. quod probat, tum ex eo quod dicitur Job. 4. in Angelis suis reperit prauitatem; tum quia peccare nihil est aliud quam declinare à rectitudine quam actus debet habere; solus autem ille actus non potest à rectitudine declinare, cuius regula est ipsa virtus agendi; atqui diuina voluntas sola est regula sui actus, quia ad superiorem finem non ordinatur: omnis autem voluntas cuiuslibet creaturæ rectitudinem in suo actu non habet, nisi ut regulatus à voluntate diuina, ad quam pertinet vltimus finis: vnde in sola diui-

na voluntate peccatum esse non potest, in qualibet autem voluntate creaturæ potest esse peccatum, secundum conditionem suæ naturæ.

Nota 1. aliud esse quòd Angelus ex conditione suæ naturæ possit esse malus, aliud, quòd ex conditione suæ naturæ malus sit. Prius enim verum est. & à S. Doctore intentum. Posterius verò falsum, & hæreticum, cum certum ex fide sit, dæmones à Deo quoad naturam creatos esse bonos, ipsos autem per se factos esse malos, vt patet ex cap. firmiter de summa Trinit. & fide Catholica. Certum etiam sit, Angelos malos iustè in inferno cruciari, quod non coningeret, si ex naturæ conditione, & non potius ex libertate propriæque electione mali essent.

Nota 2. quod dicitur in responsione ad 3. Angelos peccasse ex defectu considerationis, non carere difficultate, tum quia Angelus non peccauit in primo instanti quo creatus fuit, sed postea; ergo nihil obesse potuit, quo minus dum peccauit, haberet plenum vsum libertatis, adeoque perfectam notitiam & considerationem eorum ad quæ debebat attendere; tū quia si Angelus peccasset ex inconsideratione, primū illius peccatū non

ram esset ex superbia, vt Patres communiter docent, quàm ex aliqua negligentia applicandi intellectum, ad ea quæ tunc consideranda erant.

Nota 3. probabile esse, angelum secundum suam naturam spectatum, posse peccare venialiter: cum enim vt sic possit peccare, duo ad summum requiruntur ad hoc, vt aliqua illius electio sit tantum venialiter mala, primò vt versetur circa materiam leuem, secundò vt non interueniat circumstantia aliqua mortaliter aggrauans; nulla autem ratio efficaciter ostendit, cur non possit angelus pro sua libertate, habere electionem circa materiam aliquam leuem, verbi causa, inducendo hominem ad verbum otiosum, aut leue mendacium; & nullam adhibendo circumstantiam, quæ eiusmodi suasionem ex se venialem, in mortalem conuertat.

CONCLUSIO II. Primus Angelus peccauit ex superbia.) Hoc certum est communiter apud Theologos: itemque superbiam fuisse de facto primum illius peccatum: & ex superbia ortam esse inuidiam de bono alterius. Dubium est autem 1. an absolutè verum sit, in Angelis nullum esse posse peccatum quoad effectum, præter superbiam, &

inuidiam; qua in re pars negatiua videtur probabilior. Non enim apparet ratio, cur non possit esse in Angelo formale odium Dei, vel hominis: formalis voluntas non obediendi præcepto superioris, formalis affectus iniustitiæ erga hominem, illum bonis, aut vita priuando: hæc autem aliæque peccata distinguuntur à superbia, & inuidia: neque repugnat S. Thom. art. 2. quia hæc peccata non oriuntur in Angelis, nisi ex superbia, & inuidia.

Dubium est 2. quodnam fuerit obiectum primi peccati Angelorum S. Thom. art. 3. docet fuisse eorum beatitudinem, aut naturalem, quatenus in illa vt in ultimo fine voluerunt conuiescere, auertendo suum affectum ab ulteriori felicitate: aut supernaturalem, quatenus hanc per vires naturales, non per Dei gratiam habere voluerunt.

Verum hæc sententia videtur difficilis quoad vtrâque partem. Quoad priorē quidem, quia ex mente S. Doctoris, primū Angeli peccatum fuit superbia, vt dictū est, atqui Angelum ita conuiescere in beatitudine naturali, vt ad supernaturalem nolit tendere, hoc non tam videtur tribuendum superbiæ, quàm pusillanimitati.

tati, & defectui spei. Accedit quòd cum Angelus in instanti creationis habuerit reuelationem Dei, vt beatitudinis supernaturalis auctoris, & in eum vt sic fide infusa crediderit, verisimile non est quòd omne desiderium tanti boni assequendi abiecerit.

Quoad posteriorem verò partem est difficultas, quia Angelus ex reuelatione diuina probè nouerat, se indigere supernaturali gratiæ auxilio, ad Deum clarè videndum, adeoque beatitudinis supernaturalis consequutionem sibi per vires naturæ esse impossibilem: quì ergo fieri potuit, vt Angelus peccauerit appetendo saltem actu absoluto, & ex se efficaci talem beatitudinem, tanquam solis naturæ viribus, & sine adiutorio supernaturali possibilem.

Propter has, aliasue difficultates multi docent, obiectum primi peccati Angelorum fuisse dominatum in alias creaturas, & exemptionem ab actuali cuiuscunque superioris imperio. Alij verò existimant, vnionem hypostaticam Verbi diuini cum humanitate, fuisse obiectum peccati Angelorum. Veràm quamuis Angelus hoc, vel illo modo peccare potuerit: an tamen ita de facto peccauerit, planè incertum est: Speciatim verò contra po-

DE ANGELIS. CAP. XI. 71

steriorem modum militate videtur communior sententia quæ statuit, Christum non venturum nisi Adam peccasset; atque ita hac in re nihil certi potest affirmari.

CONCLUSIO. III. Angeli de facto non peccarunt in instanti creationis, potuerunt tamen per se loquendo in eo instanti peccare.) Prior pars communiter admittitur, quia Angeli in instanti creationis acceperunt gratiam sanctificantem, idque per propriam dispositionem, ut supra dictum est.

Posterior pars probatur, quia cum Angeli in instanti creationis habere potuerint sufficientem deliberationem, consequenter etiam potuerunt uti libertate ad peccandum. Confirmatur, nam facilius est peccare, quam mereri: atqui Angeli in primo instanti creationis potuerunt mereri, ex supradictis, ergo & peccare.

Dices primò, res prius esse debet quam operari, quia hoc pendet ab illo. Respondeo, prius esse debet naturâ, concedo; tempore, nego, sic sol eodem momento quo est, illuminat.

Dices secundò, Angelus fuit creatus in gratia, ergo in eo instanti non potuit

peccare, aliàs simul fuisset iustus, & peccator, item peccatum simul esset cum gratia, quod repugnat. Respondeo nos hìc agere de Angelo secundum se spectato, non in sensu composito cum gratia, & cum actuali Dei amore, quoad gratiam se disposuit.

Dices tertio, si Angelus in instanti creationis posset peccare, Deus posset dici causa peccati, quod repugnet Respondeo id non sequi, quamvis enim quod necessario oritur à re genita, tribuatur generanti, non tamen quod ab ea oritur liberè, ei tribui debet.

CONCLUSIO IV. Via tam bonorum, quàm malorum Angelorum tribus instantibus conclusa fuit.) Ut hoc melius probetur breuiter refellendi sunt quidam modi dicendi minus probabiles. In primis nonnulli ponunt tria instantia, in quorum primo Angeli omnes creati sint in gratia, nullus tamen meruerit: in secundo boni meruerint, mali verò peccauerint: in tertio boni gloriam acceperint, mali verò supplicio affecti sint Verùm hic modus non placet, cum ex communi sententia, Angeli omnes in primo instanti actum meritorium ediderint.

Alij 2. ponunt duo tantum instantia pro omnibus Angelis, & in primo aiunt
omnes

omnes Angelos meruisse, neque in eo potuisse peccare; in secundo verò bonos iterum meruisse, & beatitudinem accepisse, malos autem peccasse, & simul punitos fuisse. At neque hoc probatur, tum quia gratis supponit, Angelos in primo instanti non potuisse peccare; tum quia gratis miscet in vnico & eodem instanti, statum viatoris cum statu comprehensoris, ex vna parte, & ex alia statum viatoris cum statu damnati; hinc enim vt alia omitam, sequeretur Angelos bonos simul fuisse beatos, & potuisse peccare, ac à beatitudine excidere; contra verò malos simul fuisse damnatos, & potuisse mereri, ac consequi beatitudinem, quod nullo modo affirmari potest.

Alij 3. duo ponunt instantia pro bonis Angelis, in quorum primo meruerint, & in secundo beatitudinem adepti sint, Tria verò pro malis, in quorum, primo meruerint, in secundo peccauerint; in tertio denique, supplicio affecti fuerint; hoc autem duobus modis intelligi potest, vel ita vt per ordinem ad nostrum tempus, mora bonorum Angelorum fuerit breuior, mora malorum, vel ita vt vtraque habuerit æqualem durationem respectu nostri, adeò vt primum instans bonorum prótractum fuerit per duo mades angelis.

D

lorum instantia, sicque boni gloriam, & mali supplicium simul acceperint. Non est autem verisimile, bonos Angelos prius fuisse beatos, quàm mali damnati sint: vnde enim eiusmodi prioritas colligi potest? quare eo tantum sensu poni debent duo instantia in via bonorum Angelorum, quatenus in actu meritorio in instanti creationis elicitò perseverauerunt, quamdiu mali à bono proposito deflectentes, sibi aliud instans fecerunt, per transitum ad operationem malam.

Et iuxta hunc sensum, tertius iste dicendi modus videtur reliquis præferendus. Maioris tamen claritatis causa primum illud instans bonorum Angelorum duobus instantibus malorum, per comparisonem ad nostrum tempus respondens, distinguendum est in duo instantia, in quorum primò boni Angeli meruerint, in secundo tentationi restiterint, in tertio verò glorificati fuerint; sicque tam pro bonis, quam pro malis Angelis, tria instantia assignanda, quibus totum eorum negotium peractum sit.

CONCLUSIO V. Supremus Angelus inter peccantes, fuit supremus inter omnes, illiusque peccatū fuit aliis causa peccandi.) Prior pars probatur ex art. 7. quia probabilius est eum Ange-


lum fuisse primum inter peccantes, qui maius habuit motuum peccandi; sed supremus Angelus inter omnes, habuit maius motuum ad peccandum, siquidem peccatum Angelorum fuit superbia, cuius motuum est excellentia, quæ maior fuit in supremo, quàm in inferioribus. Quod autem in Scriptura vocetur Cherub. non Seraphim, ratio est quia scientiam non amisit, sed charitatem.

Posterior pars suadetur ex art. 8. quia hoc habet ordo diuinæ iustitiæ, ut cuius suggestioni aliquis consentit in culpa, eius potestati subdatur in pœna, secundum illud. 2. Petri 2. à quo quis superatus est huic seruus addictus est. At omnes dæmones illi supremo subduntur, ut patet ex verbis illis Domini, Matth. 23. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius; ergo peccatum primi Angeli fuit aliis causa peccandi: non quidem cogens, sed quaedam quasi exhortatione inducens.

Ex his autem verbis oritur difficultas, supposita responsione ad primum in qua S. Thom. ait Angelos inferiores peccasse in eodem instanti quo primus Angelus peccauit. Quomodo enim fieri potuit, ut primus Angelus eodem instanti, peccauerit, alios omnes propè innume-

ros alloquutus fuerit; iisque proposuerit quod mente conceperat, & ad sui imitationem eos hortatus fuerit, tandemque illi id idem facinus consenserint? Propter hanc rationem dicendum videtur, angelos omnes non peccasse in eodem instanti respondenti instanti indiuisibili nostri temporis, sed in instanti temporis discreti, virtualem aliquam secessionem habente, ita ut peccata omnium, angelorum si non inchoata, simul tamen continuata, & completa fuerint.

Nota ex art. 9. non tot angelos peccasse, quot perseuerauerunt, quia peccatum est contra naturalem inclinationem. ut ea quæ contra naturam fiunt, ut in paucioribus accidunt, natura enim consequitur suum effectum vel semper, vel in pluribus. Cæterum quantus sit numerus bonorum angelorum, vel quo excessu superet multitudinem dæmonum, certo definiri non potest.



CAPVT XII.

De pœna dæmonum.

CONCLUSIO I.

Intellectus dæmonis non est obtentus
 bratus per priuationem cognitionis
 cuiuscunque veritatis.) Hoc potest ex-
 plicari per distinctionem illam quam
 S. Doctor. i. p. q. 64. art. adhibet. Nam si
 quæstio fit de cognitione veritatis, quæ
 habetur per naturam, ea in dæmonibus nec
 est ablata, nec diminuta, cõsequitur enim
 ipsam naturam Angeli, quæ est intelle-
 ctualis, & à qua propter eius simplicita-
 tem, nihil subtrahi potest, vt sic per sub-
 tractionem naturalium puniatur; sicut
 homo punitur per subtractionem manus,
 aut pedis. Si verò agatur de cognitio-
 ne quæ habetur per gratiam, adhuc di-
 stinguendum est, nam alia est speculati-
 ua, vt cum alicui secreta diuinorum re-
 uelantur, & hæc non est in dæmonibus
 totaliter ablata, sed diminuta; quia de
 secretis diuinis tantum reuelantur eis,
 quantum oportet, vel per Angelos bonos,

D 3.

vel per aliqua signa, & effectus diuinæ virtutis: alia autem est affectiua produ- cens amorem Dei; & hæc nullo modo remansit in malis Angelis, sicut neque charitas.

Nota tamen, quando S. Thomas ait, mansisse in malis Angelis saltem ex parte, cognitionem, quæ habetur per gratiam, non esse sensum, quòd in eis manserit cognitio aliqua quoad entitatem supernaturalis; siquidem ex communi Theologorum sententia, etsi in dæmoni- bus naturalia integra remanserint, in iis tamen nullum post peccatum remansit donum ordinis supernaturalis, siue actua- le, siue habituale: quia cum eiusmodi dona vel proxime vel remote ordinentur ab beatitudine, congruum non est ut in iis remaneant, qui ab omni spe cõ- sequendæ salutis sunt deiecti. Neque refert illud Iacobi 2. Dæmones credunt, & contremiscunt, non enim id. debet intelligi de fide infusa, & supernaturali qua quis ex pio affectu voluntatis credit reuelatis, eò quòd à Deo reuelata sunt, sed de alia fide inferiori, & quoad substan- tiam naturali, qua dæmones credunt ali- quid conuicti signorum euidentiâ. Ita- que S. Doctor. suprâ per cognitionem illam quam dicit haberi ex gratia, non

DE ANGELIS. CAP. XII. 79

debet intelligi cognitio supernaturalis, sed cognitio naturalis rei supernaturalis: tali siquidem cognitione Angeli mali præditi sunt, tum quia recordatio quædam rerum supernaturalium, quarum in via reuelationem habuerant, in iis remansit: tum quia successu temporis varia cognoscunt, conuicti signorum euidentiâ, vt dictum est.

CONCLUSIO II. Voluntas dæmonum est obstinata in malo.) Hoc probat S. Doctor art. 2. tum ex illo P sal. 71. Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper; tum quia vis appetitiua in omnibus proportionatur apprehensivæ à qua mouetur, sicut mobile à motore, differt autem apprehensio Angeli, ab apprehensione hominis, in hoc quòd Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, homo vero per rationem apprehendit mobiliter, discurrendo ex vno ad aliud: vnde voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, & contrario adhærere: voluntas autem Angeli adhæret fixè, & immobiliter postquam adhæsit, etsi ante adhæSIONem possit liberè adhærere huic, vel opposito.

Vbi nota 1. S. Doctorem videri reuocare obstinationem dæmonum, in natura-

lem conditionem eorum, quod paulo durum videtur, quia cum omnes Angeli in primo creationis instanti bene operati fuerint, etiam ex mente S. Thomæ, & statim aliis in bono perseverantibus, alij peccauerint, sanè sicut isti ob innatam agendi libertatem, à bono ad malum deflexerunt, ita potuerunt per se loquendo, malum quod patrauerant retractare, & bonum aliquem actum elicere; cum per peccatum non amiserint libertatem arbitrii, aut aliquam diminutionem in ea passi fuerint. Quare dicendum videtur, causam obstinationis in Angelis damnatis, proximè ex eo repetendam esse, quòd Deus decreuerit illis non conferre auxilia gratiæ, quibus possent ad pœnitentiã salutarem excitari, & iuuari.

Nota 2. probabile esse dæmones, antequam essent damnati, adeoque statim post peccatum commissum, fuisse in malo obstinatos, ut non obscure ex plerisque Patribus eruitur. Cur autem Deus decreuerit illis non conferre gratiam ad resurgendum necessariam, causa esse potuit, tum quia tantò maior erat Angelij culpa, quantò maior dignitas, intelligentia, libertas, & gratia illi collata fuerat; tum quia sine vlla sensibili passione, adeoque ex mera malitia peccauit. Con-

DE ANGELIS. CAP. XII. 81
tra verò homines erant longè Angelis
inferiores, tam quoad naturam & vim
intelligendi, quam quoad gratiæ dona;
præterea ex passione sensibili ad malum
traherentur, adeoque non ex malitia, sed
ex infirmitate peccauerunt. Accedit quòd
per peccatum Angelorum tota natura
Angelica non periit. At verò per pecca-
tum Adæ tota natura humana periit,
quare voluit Deus ex sua misericordia,
hominem vocare ad pœnitentiam, & ex
iusto iudicio Angelum sine remedio re-
linquere.

CONCLUSIO III. Dolor vno
sensu est in dæmonibus, non alio] Pro-
batur, nam vt ait S. Tho. quæst. cit. art. 3:
Dolor vt passio non est in dæmonibus,
cùm careant appetitu sensitivo; Est autem
in illis, vt dicit simplicem actum volun-
tatis, qua ratione est renisus voluntatis
ad id quod est, vel nō est, quatenus mul-
ta suat quæ vellet non esse, & multa nō
sunt, quæ vellet esse.

Nota 1. cùm S. Thomas in responsio-
ne ad primum concedit, in dæmonibus
esse gaudiū, hoc non debere intelligi de
verò aliquo gaudio, sed tantū de gaudio
ficto & apparente; cum enim dæmones
acerbissimè crucientur, & doleant, hinc
fit vt nullo verò afficiantur gaudio, etsi

D 5.

82 TRACTATUS

res interdum ex voto ipsis succedere videantur, ut verbi causa, cum homines in peccatum pertrahunt; hoc enim non est tanti momenti, ut ab ipsis apprehendi possit tanquam bonum aliquod, de quo merito lætari debeant.

Nota 2. ex art. 4. in responsione ad primum, & ad tertium colligi, dæmones non aliter torqueri ab igne infernali, quàm per alligationem. Hoc autem non videtur sufficienter explicare vehementissimos illos dolores & cruciatus, quibus ex Scriptura, & Patribus constat dæmones torqueri.

Ad hoc responderi potest Scripturam, & Patres exaggerare cruciatum & dolorem dæmonum, quod talis dolor causeatur per actionem aliquam realem, & physicam ignis, sed quia dæmones per virtutem diuinam potentissimè adiguntur, ut ignem apprehendant tanquam horrendum carcerem, in quo per totam æternitatem omni exeundi libertate destituti, in pœnam suorum scelerum commorantur. Ea enim cogitatio quam nullo modo excutere possunt, non minùs eos cruciat, quàm si verè & physicè ab ipso igne comburerentur; præsertim spectata ea nobilissima facultate agendi, & seipos mouendi, qua naturaliter præditi sunt.


DE ANGE C I S. CAP. XII. 83

Neque refert quòd Patres dicunt, dæ-
mones vri igne infernali; hoc enim in
nulla sententia potest intelligi de pro-
pria vstione, cùm spiritus illius capax nō
sit, sed tantum de quadam vstione meta-
phorica, seu de quodam dolore acutissi-
mo qui animum peruadit, & veluti in-
cendit.

Neque etiam obstat, quòd eiusmodi
dolor æquè possit causari ab aqua, vel ab
aëre, hoc enim concedendum est etiam in
sententia, quæ docet, ignem eleuari ad
agendum physicè in spiritus, per qualita-
tem aliquam in eo productam; cùm quæ-
libet alia res similis eleuationis sit ca-
pax, in ordine ad omnipotentiam Dei.
Itaque quòd Deus de facto voluerit dæ-
mones ab igne torqueri, potius quam ab
aqua, vel aëre hoc sufficit vt verificari
possit quòd de eorum pœnis dici solet.
Et sanè cùm ignis paratus sit ad com-
burèda hominum damnatorum corpora,
æquum erat vt Deus eodem instrumen-
to vteretur, ad torquendos ipsos dæmo-
nes, modo possibili.

Si quis tamen in sententia S. Thomæ
sic explicata, nondum planè quiescere
possit. dicat cum Augustino 21. de Ciuit.
cap. 10. Spiritus torqueri ab igne, veris
quidem, sed miris modis, id est, nobis

84 TRACTATUS
ignotis, quosque suscipere licet, non cu-
riosius indagare.



CAPVT XIII.

*Quomodo ordinentur Angeli, & quid
possint.*

CONCLUSIO I.

INter Angelos sunt tres Hierarchiæ, in
qualibet Hierarchia sunt tres ordines,
& in quolibet ordine plures Angeli.)
Primam partem probat. S. Thomas 1.
p. .q 108. art. 1. tum ex Dionysio cap.
6. Cœlestis Hierarchiæ, tum quia Hie-
rarchia idem est ac sacer principatus, sub
quo nomine intelligitur tam ipse prin-
ceps, quàm multitudo sacra ordinata sub
principe: licet autem sit vna Angelorum,
& hominum Hierarchia, si hæc spectetur
per respectum ad principem cui est sub-
iecta, si tamen attendatur ad ipsam mul-
titudinem ei subditam, distinguenda est
Hierarchia humana, ab Angelica, & in
Angelis tres Hierarchiæ constituendæ
sunt: quia scilicet aliter homines gu-
bernantur quàm Angeli, & in Angelorum

DE ANGELIS. CAP. XII. 85

gubernatione triplex discrimen reperitur, iuxta triplicem vniuersalitat^{is} gradum qui in eorum speciebus considerari potest.

Secundam partem probat art. 2. quia in qualibet Hierarchia diuersitas ordinum petitur ex diuersis officiis, & attributis. At omnes ordine ad tres possunt reduci, secundum quod quælibet multitudo perfecta habet principium, medium & finem, vt patet in ciuitate, in qua quidam sunt supremi, vt Optimates: quidam infimi, vt vilis populus; alij autem medijs, vt populus honorabilis. Vnde cum tres sint Hierarchiæ Angelorum, nouem esse ordines eorum intelligitur, qui quidem communiter ita numerantur, vt in infima Hierarchia sint Angeli, Archangeli, & Principatus. In media Potestates, Virtutes & Dominationes. In suprema Throni, Cherubim, & Seraphim.

Tertiam partem probat art. 3. tum ex cap. 6. Isaia, vbi dicitur quod Seraphim clamabant alter ad alterum; tum quia cum imperfectè cognoscamus Angelos, & eorum officia, non possumus distinguere ordines, & officia Angelorum nisi in communi, qua ratione multi Angeli sub vno ordine continentur. Notat tamè quod si perfectè cognosceremus officia

quòd si perfectè cognosceremus officia Angelorum, & eorum distinctiones, perfectè sciremus quòd quilibet Angelus habet suum proprium officium, & suum proprium ordinem in rebus, multò magis quàm quælibet stella.

CONCLUSIO II. Distinctio Hierarchiarum, & ordinum est quodammodo à natura, permanebit post diem iudicij, ipsique homines secundum quid ad ordines Angelorum assumuntur.) Prima pars traditur art. 4. Nam si ordo gubernationis Angelorum spectetur secundum finem naturalem, sic eorum ordines distinguuntur secundum naturalia dona.

Si verò secundum super naturalem, sic eorum ordines distinguuntur inchoatiuè per naturalia dona, completiuè per dona gratiæ.

Secundam probat art. 7. Nam in ordinibus Angelicis duo possunt considerari, scilicet distinctio graduum, & executio officiorum. Distinctio autem graduum est in Angelis, secundum differentiam gratiæ, & naturæ, & vtraque differentia semper in Angelis remanebit, quia semper suam naturam & gloriã retinebunt: executio autè officiorum Angelicorum aliquo modo remanebit, post diem iudicij, & aliquo modo cessabit, & quidem cessa-

bit, & quidem cessabit quoad minus perducendi aliquos ad finem; remanebit autem secundum quod conuenit in vltima assecutione finis; sicut etiam sunt alia officia militarium ordinum in pugna, alia in triumpho.

Tertiam habet art. 8. Nam ordines Angelorum distinguuntur, & secundum conditionem naturæ, qua ratione homines assumi non possunt ad ordines Angelorū, quia semper remanebit naturarum distinctio; & secundum dona gratiæ, qua ratione homines assumi possunt ad ordines Angelorum, quia per gratiam possunt mereri tantam gloriam, vt Angelis æquantur, iuxta promissionem Christi, Lucæ 20. dicentis, Filios resurrectionis fore æquales in Angelis cœlis.

CONCLUSIO III. Inter dæmones sunt ordines, & quædam prelatio, non tamen illuminatio.) Primum probatur à S. Doctore 1. p. q. 109. art. 1. quia etsi in dæmonibus non reperiantur gradus ordinum, si ordines considerentur quantum ad gratiam, & gloriam; secus res se habet, si ordines spectentur quantum ad naturam, naturæque gradum, eò quòd naturalia in dæmonibus remanserunt.

Secundum patet ex art. 2. quia cùm

actio sequatur naturam rei quorumcumque naturæ sunt ordinatæ, oportet etiam quod actiones sibi inuicem ordinentur. Manifestum est autem ex dictis, quod dæmonum quidam naturali ordine sub aliis constituuntur; unde & actiones eorum sub actionibus superiorum sunt, & hoc est, quod rationem prælationis facit, ut scilicet actio subditi subdatur actioni prælati: sic igitur ipsa naturalis dispositio dæmonum requirit, quod sit in eis prælatio, esto similis prælatio non sit inter homines damnatos, eò quod naturam humanam æqualiter participant, ut colligi potest ex responsione ad 3.

Tertium ostenditur ex art. 3. quia illuminatio propriè est manifestatio veritatis, secundum quod habet ordinem ad Deum, qui illuminat omnem intellectum; peruersitas autem dæmonum hoc habet, quod vnus non intendit alium ordinare ad Deum, sed magis ab ordine diuino abducere, & ideò vnus dæmon alium non illuminat; quamuis conceptum suum per modum locutionis ei intimare possit.

Nota ex art. 4. Angelos bonos habere prælationem in malos, & ex se eos illuminare, manifestando eis aliquam veritatem ad Deum ordinatam; malos tamen non illuminari, quia talem verita-

tem nō accipiunt cō ordine ad deum, sed ad explendam prauam suam voluntatem.

CONCLUSIO IV. Angeli administrant res corporeas.) Hoc patet in primis ex Scriptura, quæ Apocalyps. 7. 14. & 15. meminit. Angelorum habentium potestatem supra elementa. 2. ex Augustino qui lib. 83. quæstionum, q. 79. Vnaquæque, inquit, res visibilis in hoc mundo habet potestatem angelicam sibi præpositam. 3. quia congruus ordo prouidentia diuinæ postulare videtur, vt inferiora per superiora gubernentur. Quod ita intelligendum est, vt Angeli non tantum præ sint rebus istis inferioribus mediata, mouendo cælos, sed etiam immediata per seipsos, habendo curam specierum creaturarum.

Nota i. hoc non esse sic extendendum, vt possint Angeli per seipsos immediate inducere formam aliquam substantialem in materiam, quia vt colligitur ex S. Thoma i. p. q. 110. art. 2. per mutationem substantialem, seu formalem fit compositum constans ex materia & forma: At non potest Angelus per se immediate facere tale compositum, cum ipse non sit compositus ex materia & forma; neque eiusmodi compositum in

virtute sua contineat.


Nota 2. multò minùs posse Angelos propria virtute vera facere miracula, quia vt patet ex articulo 4. miraculum dicitur quod sit supra ordinem totius naturæ creatæ. At Angeli non possunt tale quid operari, cum ipsi sint intra naturæ ordinem. Quia tamen eadem virtute qui possunt seipsos mouere, possunt corpora celerrimè à loco ad locum transferre, vel etiam impulsu iis imprimere, hinc facilè possunt applicando actiua passiuis, varias transmutationes insolitas, quæque nobis miraculosæ appareant, efficere.

CONCLUSIO V. Potest Angelus variis modis immutare hominem.)
 Probat, nam in primis potest Angelus hominem illuminare, vt docet S. Thomas I. parte q. 111. art. 1. Quia scilicet hoc habet diuinæ prouidentiae ordo, vt actionibus superiorum inferiora subdantur. Hæc autem illuminatio non ita fit vt Angelus producat speciem aliquam in intellectu hominis, aut illius lumen augeat, sed per signa aliqua externa oculis, vel auribus subiecta, aut per visiones imaginarias, commotionem humorum, & spirituum in sensibus internis causatas.

DE ANGELIS. CAP. XIII. 21

Potest etiam Angelus immutare voluntatem hominis ex art. 2. non quidem immediatè agendo in illam, sed per modum suadentis, proponendo obiecta externa, excitando varias cogitationes in imaginatione, & commouendo passiones in appetitu sensitivo; ita tamen vt voluntas maneat semper libera ad consentiendum, vel resistendum passioni.

Tandem quòd, possit Angelus immutare imaginationem, aliosque sensus hominis, vt traditur art. 3. & 4. ea ratio suadet, quia talis immutatio potest causari ex locali motu spirituum, humorum, aliorumue corporum. At res materiales obediunt Angelis ad nutum quoad motum localem, vt suprà dictum est.



CAPVT XIV.

De missione, & custodia Angelorum, & impugnatione demonum.

CONCLUSIO I.

Angeli à Deo mittuntur in ministerium.) Ita S. Thom. 1. p. q. 118. art. 1. Et quidem quòd angeli à deo mittan-

tur, probat, tum ex verbis illis Exodi 23. Ecce ego mittam angelum meum qui præcedat te; tum quia Angelus ex imperio Dei de nouo applicatur ad aliquid agendum, circa creaturam corpoream quam administrat, sicque ibi de nouo incipit esse. Quòd verò angeli mittantur in ministerium probat, quia actio quam Angelus missus exercet, procedit à Deo sicut à principio cuius nutu, & auctoritate Angeli operantur, & in Deum reducitur sicut in vltimum finem: qui autem sic operatur se habet vt instrumentum intelligens, quod est idem ac minister.

Nota 1. angelos propriè non esse ministros hominum, hoc enim denotat aliquam inferioritatem & subiectionem, quæ nequit Angelis competere respectu hominum: quare potius sunt eorum rectores, & custodes, quàm ministri.

Nota 2. iuxta S. Doctorem art. 2. superiores angelos nunquam ad exterius ministerium mitti, tum quia ordo angelicæ missionis habet, vt inferiora per superiora administrantur: at non est ratio cur talis ordo prætermittatur, quia cum sit secundum dona gratiæ, non habet ordinem superiorem propter quem prætermitti debeat: præsertim quia talis.

DE ANGELIS. CAP. XIV. 93

prætermisio, vt pote nobis ignota, nihil prodesset ad confirmationem nostræ fidei? tum quia nihil est ita magnum in ministeriis diuinis, quod per inferiores ordines exerceri non possit, cum Archangelus Gabriël missus sit ad annuntian- dum Incarnationis mysterium, quod in- ter ministeria diuina summum locum tenet.

Verùm alij existimant, etiam superio- res Angelos extraordinariè mitti, tum quia Apostolus Hebr. i. Nonne, inquit, omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, tum quia ex quorun- dam Patrum sententia, Michaël, & Ga- briël quos missos esse constat, sunt ex su- perioribus ordinibus: tum denique quia cum ipse Filius dei missus sit ad homi- mines, cur negetur etiam supremos An- gelos saltem ex graui causa, interdum ad eos mitti? vtrumque probabile.

CONCLUSIO II. Homines custodiuntur ab Angelis.) Ita S. Tho- mas i. p. q. 113. art. i. quod probat, tum ex illo Psalmi 90. Angelis suis Deus mandauit de te: tum quia variabilia & mobilia, per immobilia & inuariabilia secundum rationem diuinæ prouidentię mouentur, & regulantur, vt patet indu- ctione: nam omnia corpora quæ mobilia

sunt, per substantias immobiles & immobiles & immateriales, & corpora inferiora per superiora, quæ sunt inuariabilia quoad substantiam reguntur: imò nos ipsi regulamur circa conclusiones, in quibus possumus diuersimodè opinari, per principia quæ inuariabiliter tenemus. Manifestum est autem quòd in rebus agendis, cogitatio & affectus hominis multipliciter variari, & deficere possunt à bono, & ideo necessarium fuit, quòd hominibus Angeli ad custodiam deputarentur, per quos regularentur, & mouerentur ad bonum.

Nota 1. ex art. 2. singulos homines à singulis angelis custodiri, quia cum homines non tantum sint incorruptibiles quoad speciem communem, sed etiam quantum ad proprias formas singulorū, prouidentia Dei comparatur ad singulos homines, sicut ad singula genera, vel species corruptibilium rerum; vnde sicut probabile est quòd diuersis speciebus rerum, diuersi Angeli eiusdem ordinis præficiuntur, ita rationabile est vt diuersis hominibus diuersi Angeli ad custodiam deputentur.

Nota 2. ex art. 4. nullum esse hominem qui careat Angelo custode, quia homo hinc constitutus, est quasi in quadam

via qua debet tendere in patriam, in qua quidem, via multa pericula interna, & externa imminent: & ideo sicut hominibus per viam nō tutam ambulanti- bus dantur custodes, ita & cuilibet homini quandiu viator est, custos Angelus deputatur: quādo autem iam ad viæ terminum peruenit, non habebit custodem Angelum, sed habebit in cælo Angelum conregnantem, in inferno dæmonem punientem.

Verūm ab hac regula excipiendus est Christus, quia cum esset comprehensor, & angelorum Dominus, non habebat Angelos custodiētes, sed ministrantes. Nō tamē beata Virgo etsi eximiē sancta, quia beneficiū custodiæ respicit hominem vt viatorem, non vt iustum. Neque homines in statu innocentia, propter pericula ab extrinseco ingruentia. Nec denique præsciti, quia sicut non distituuntur auxiliis sufficientibus, ita nec custodia Angelica.

Nota tandem præter Angelos singularibus personis deputatos, alios esse qui regnis, prouinciis, ciuitatibus, & congregationibus præficiuntur. Imò Pontifices, Reges, aliaque personæ publicæ præter Angelum quem habent vt personæ priuatæ, habent alium quo diriguntur in iis

quæ spectant ad regimen multitudinis sibi commissæ, vt fert communis Theologorum sententia.

CONCLUSIO III. Angelus deputatur homini ad custodiam à natiuitate.) Ita S. Thom. 1. p. q. 113. art. 5. quod probat, quia etsi beneficia quæ dantur homini diuinitus, ex eo quòd est Christianus, incipiant à tēpore baptismi, sicut perceptio Eucharistiæ, & alia huiusmodi: ea tamen quæ prouidentur homini à Deo, quatenus habet naturam rationalem, ex tunc ei exhibentur, ex quo ralem naturam accipit: at tale beneficium est custodia Angelorum, vt ex dictis patet, quare homo statim à natiuitate habet Angelum ad sui custodiam deputatum.

Nota 1. ex responsione ad 2. quòd etsi pueri mox nati non possint illuminari ab Angelo, ob defectum vsus rationis, officium tamen custodiæ in iis alios effectus habere potest, nempe arcere Dæmones, aliâque nocumenta tam corporalia, quàm spiritualia prohibere, & ex responsione ad 3. quòd puer quandiu est in vtero, est veluti pars matris, sicut fructus pendens ab arbore est aliquid arboris ac proinde tunc ab Angelo matris custoditur, sed in natiuitate quando
separatur

DE ANGELIS. CAP. XIV. 97

seperatur à matre, Angelus ei ad custodiam deputatur.

Aliqui tamen oppositum docent, quia infans etiam in utero est persona distincta à matre, in ordine ad beatitudinem. Unde est capax peccati originalis, et si mater sancta sit, & aliunde magis commendatur liberalitas Dei, quòd ex tunc habeat Angelum specialiter deputatum, qui illius curam gerat, & impediat ne demon aliquod nocumentum ei inferat.

Nota 2. ex art. 6. Angelum custodem nunquam totaliter deserere hominem, sed tantum secundum quid, quatenus non impedit ne interdum subdatur alicui tribulationi, vel in peccatum cadat. Item ex art. 7. Angelos non dolere de malis eorum quos custodiunt, cum sint beati, eorùque voluntas totaliter ordini diuinæ iustitiæ subsit. Et ex art. 8. inter Angelos bonos posse esse pugnam vel discordiam, quatenus nescientes quid Deus circa negotium aliquod decreuerit, interdum petunt pugnantia ex bono fine. Qua ratione Daniel. 10. fuit pugna inter principem regni Persarum, & Gabriëlem, quatenus ille optabat ut iudæi à captiuitate nondum liberarentur, quia sperabat plerosque gentiles ex eorum

de Angelis. E

consuetudine conuertendos. Gabriël verò timens ne Iudæi Persarum exemplo ad idololatriam deficerent, orabat pro eorum liberatione à captiuitate.

CONCLUSIO IV. Homines impugnantur à dæmonibus.) Ita S. Thomas 1. p. q. 114. art. 1. quod probat ex verbis illis ad Ephes. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, &c. Monet autem 1. talem impugnationem procedere ex ipsa malitia dæmonum, qui propter inuidiam, profectam hominum impedire nituntur, & propter superbiam diuinæ potestatis similitudinem vsurpant, deputando sibi ministros determinatos ad hominum impugnationem. 2. ordinem dictæ impugnationis esse à Deo, qui ordinatè nouit malis uti ad bona ea ordinando. 3. ex parte bonorum Angelorum, tam ipsam custodiam, quàm ordinem custodiæ reduci ad Deum, sicut ad primum authorem.

Nota 1. ex art. 2. etsi Deus dicatur tentare hominem vt sciat, seu vt scire faciat, proprium tamen esse dæmonis tentare malo fine, vt nempe hominem decipiat, & in peccatum præcipitet: Vnde prior tentatio vocari solet probationis, posterior verò seductionis: imò eadem

tentatio hominis potest simul esse probationis, vt à Deo permittitur, & seductionis, vt à dæmone causatur, & vt patet in tentatione beati Iob. Quin ipse dæmon modo Christum tentat, vt experimentum aliquod ex eo sumat, modo vt eum in peccatum inducat.

Nota 2. ex art. 3. quòd etsi dæmon indirectè sit causa omnium peccatorum quæ ab hominibus patrantur, quatenus causa fuit primi peccati, ex quo pronitas ad malum orta est: non tamen omnia directè oriuntur ex illius suggestione, cum non semper homines tentet & aliunde ipsa naturæ corruptio, imò vel sola arbitrij libertas in hominibus hîc degentibus, ad peccandum sufficiat, vt ex peccato primi angeli apertè colligitur.

Nota 3. ex art. 4. posse Angelos efficere transmutationes rerum corporalium, quæ per aliquas virtutes naturales fieri possunt, vt generare serpentes, & ranas ex putrefactione, non autem illas quæ vires naturæ excedunt, sicut quòd corpus hominis mortuum reuiuifcat, aut quod corpus humanum mutetur in bestiale. Vnde si quando dæmones tale quid operari videntur, hoc fit secundum apparentiam tantum; idque vel ab

100 T R A C T A T V S
interiori per immutationem phantasiae,
ita vt aliquid aliter videatur quam sit,
vel ab exteriori, si verbi causa, dæmon
corpori humano circumponat corpus ex
aëre confectum, sub figura alicuius ani-
malis, vt homo in illius specie appa-
reat.





TRACTATUS BREVIS
DE BEATITVDINE
SVPER NATVRALI
ET ACTIBVS HVMANIS
quibus comparatur.

CAPVT. I.

De Beatitudine.

CVM finis vltimus Ange-
lorum & hominis fit Bea-
tudo supernaturalis, æquū
est vt ab ea initium mora-
lis scientiæ Christianæ
auspicemur, nam in practicis quoties
methodus prudentiæ id patitur, à fine
tanquam à scopo totius tractationis est
ordicndum.

 SECTIO I.

De Beatitudine obiectiua.

Beatitudo supernaturalis pariter naturalis, de qua moralis Philosophia agit & ad nos non spectat; diuiditur in obiectiuam & formalem, quia finis omnis completè sumptus ex obiecto bono & eius adeptione constat.

CONCLUSIO I. Beatitudo supernaturalis consistit in Deo clarè viso. Prob. quia id solum est obiectiua Beatitudo quod totam voluntatis capacitatem explere potest. Hoc autem solus Deus clarè visus præstare valet, ergo, &c. Maior est clara minor probatur. Quia id solum quod continet omne bonum eminenter potest explere voluntatem, & ita eam satiare vt nihil vltèrius expetat; nihil enim cognoscetur extra illud obiectum esse appetibile. Solus autem Deus continet omne bonum eminenter, ergo solus clarè visus saturare potest inexplebilem alioqui voluntatis cupiditatem.

Errores aliorum qui fœlicitatem vel in voluptate, vel in aliis bonis colloca-

DE BEATITVDINE. CAP. I. 103
runt refellit hic S. Thom. q. 2. Boëtius
2. & 3. de consolatione.

Dixi sitam esse Beatitudinem obie-
ctiuam in Deo, non vtrunque sed clarè
viso, nisi enim Deus euidenter nobis in-
notescat, non potest rabida prorsus boni
cupiditas quæ voluntatem irrequieto
motu exagitat, cumulatè & adæquatè
compesci; Aliquid enim semper suauius
sibi comparandam exhibebit, ergo vo-
luntas nostra satiabitur tantum cum ap-
paruerit gloria Dei, & videbitur Deus.
Deorum in Sion Psal. 83.

CONCLUSIO II. Obiectum
nostræ Beatitudinis inuehit omnes per-
fectiones vt in Deo sunt.

Ratio quia obiectum nostræ Beatitu-
dinis est Deus vt in se est; vt sic comple-
ctitur omnem perfectionem; nam ex eius
omnipotentiâ, omniscientiâ, omnibonita-
te à parte rei existit vnum optimum, er-
go, &c. Vide vasqu dis. 12. nu. 6. & disp.
13. nu. 2. Nec beati Deum vt in se est
intuentes eius bonitatem, ab aliis attri-
butis distingunt.

CONCLUSIO III. Perfectiones
Dei non tantum absolutæ sed etiam re-
latiua per se & directè ad totalem ra-
tionem obiectiuam beatificam spe-
ctant.

Est contra Molin. 1. p. q. 12. Prob. conclus. quia obiectum Beatificans est Deus prout in se est; re ipsa autem Deus, est Pater, & Filius & Spiritus sanctus, ergo, &c.

Non enim Deus est obiectum beatificans secundum aliquas perfectiones, sed prout videtur, atque adeò non vt vnus, sed vt trinus; nec relationes diuinæ concurrunt per accidens ad obiectum beans componendum. vt Caieta 2. 2. qu. 2. art. 8. nota, non enim personalitates diuinæ sunt accidentales Deo, sed verè integrant & complent id obiectum totale prout beans, quia est beatificum, prout videtur vt in se est, & consequenter non tantum vt vnus, sed etiam vt trinus.

SECTIO.

De Beatitudine formali.

NOta Beatitudinem formalem esse possessionem summi boni, seu obiecti beatificantis; nam quantumuis illud obiectum sit omnibus numeris absolutum, non tamam beare potest animam, nisi ab ea possideatur, & cum eâ coniungatur, quæ causa est cur Becanus voluerit no-

DE BEATITVDINE. CAP. I. 105
men Beatitudinis magis propriè cadere
in possessionem quam in obiectum.
Tract. 1. qu. 1. in fine.

CONCLUSIO I. Formalis Bea-
tudo non consistit in actu increato vo-
luntatis diuinæ de creatura beanda, ipsi
creaturæ appropriato, & velut infito.

Est contra aliquos Theolog. apud
Gregor. in 2. d. 7. q. 2. in argum. contra
3. & apud Capreol.

Prob. 10. quia damnatur ea sententia
ab Agathone Papa in Epist. ad Imperato-
rem quæ est in 6. Synodo, in actione 4.

Prob. 2. quia non potest Deus attingi
ab animâ, siue per intellectum, siue per
voluntatem, sine actu vitali & operatione
animæ. ergo ille actus debet esse actio
immanens & insidens animæ, & habere
dependentiam à principio interno & vi-
tali; debet enim potentiam vitalem in-
formare vitaliter; ergo nequit esse vnio
actus diuini, qui non potest animam in-
formare & à principio vitali dependere.
Quæ omnia ex Philosophia & libris de
anima patent.

CONCLUSIO II. Beatitudo
formalis sita est in operatione aliqua &
actu vitali creaturæ.

Ratio est, quia debet esse perceptio
summi boni & tendentia in illud vt mox

dicam, at omnis perceptio obiecti debet esse vitalis, est enim aduertentia ergo debet esse anima aduertens, hoc est vitaliter operans, ergo cum actu vitali. Vide Less. l. 2. de summo bono cap. 10. Suar. l. de attrib. Dei negat. cap. 7. num. 7.

CONCLUSIO III. Beatitudo formalis in sola intellectione & visione intuitiua, vt vera obiecti beatifici possessione collocanda est.

Ita D. Thom. Cajet. Conrad. Durand. Ferrar. Vasq. disp. 2. cap. 3.

Probatur ratione, quia Beatitudo formalis est acquisitio & consecutio obiecti beatifici, & eius quædam veluti apprehensio.

At qui solus intellectus apprehendit & possidet obiectum, ergo beatitudo formalis est tantum actus intellectus. Minor probatur, quia voluntas trahitur potius & possidetur ab obiecto, quam illud possideat, at intellectus formaliter obicit bonum, & præsens facit, & illud veluti continet. Vide Philosophos morales in disp. de Beatitudine.


CONCLUSIO IV. Beatitudinis formalis quæ actu intellectus essentialiter constituitur, duosunt veluti corollaria amor, & gaudium.

Hoc tantum euincunt qui beatitudi-

nem formalem collocant in amore vel gaudio. In amore sitam esse vult Scotus, in delectatione sola Medina; in visione & amore coniunctis, Salas tract. 2. disp. 2. nu. 48. In intellectu, amore & delectatione. Valent. disp. 1. q. 3. p. 1. Pinelli parte 1. operis de altera vita. Less. de summo bono.

Probat, quia id quod non est essentialiter possessio summi boni, non est essentialiter & formaliter beatitudo formalis; at amor & gaudium non est possessio summi boni vt constat ex conclus. 3. sed eam præsупponit, ergo. &c.

Dices sine amore & gaudio anima videns Deum non esset perfectè beata. Resp. non esset perfectè id est essentialiter beata, nego; complectiuè & integraliter, concedo. Quia amor & delectatio sunt beatitudinis complementa & veluti proprietates, nam possessionem summi boni, hoc est essentialem beatitudinem præsупponunt, & ab ea deriuantur.



CAPUT II.

De Moralitate actus humani.

NOta 1. in actu libero duo confide-
rari, nempe quod spectet ad genus
naturæ & ad genus moris. Spectat ad ge-
nus naturæ, quatenus est actus vitalis, &
humanus seu liber; ad genus verò moris,
quatenus tendit in obiectum, prædicto
modo spectatum.

Nota 2. moralitatem non esse aliquid
absolutum, sed respectuum; siquidem
actum esse moralem, dicit intrinsecè mo-
dum quendam, quo actus tendit in ob-
iectum moraliter spectatum; hæc autem
tendentia, ut constat, est aliquid respec-
tuum.

Nota 3. modum illum non esse me-
rum ens rationis, sed aliquid reale actui
inexistens: quia nemine cogitante, actus
liber à voluntate circa obiectum moralis
elicitus, est moralis, bonus aut malus.

CONCLUSIO vnica. Etsi ad
moralitatem actus requiratur libertas, id
tamen quo actus constituitur formaliter
moralis, seu in genere moris, non est li-

bertas, sed obiectum ipsum vt morale.)
 Prima pars probatur: nam nullus est actus
 moralis, qui non sit constitutus in ali-
 qua specie moralitatis, adeoque qui non
 sit moraliter bonus aut malus. Nullus
 autem actus libertate carens, est mora-
 liter bonus, aut malus; dignus laude, aut
 vituperio; præmio, vel pœna, vel omnes
 concedunt Ergo repugnat dari actum
 aliquem moralem, qui non sit liber.


Secunda pars ostenditur: nam idem
 actus liber manens quoad libertatem
 immutus, mox est bonus, mox malus,
 vt patet in eo qui comedit carnes, tem-
 pore non prohibito, & adueniente pro-
 hibitione, non cessat ab esu carnium. Fie-
 ri etiam potest, vt idem actus liber per-
 tineat ad duas species malitiæ, inter se
 minimè subordinatas, vt cum aliquis oc-
 cidit, animo furandi. At si moralitas in
 genere sumeretur à libertate, non magis
 fieri posset, vt idem actus liber transiret
 ab vna mortalitate ad aliam, aut simul-
 pertineret ad duas species moralitatis,
 non subordinatas, quàm fieri possit, vt
 idem animal, quod iam est homo sit po-
 steà equus, aut quòd simul sit homo, &
 equus.

Dices, proprietates esse moralis, com-
 petunt actui libero, vt liber est, nempe

quod sit dignus laude, aut vituperio; præmio, vel pœna. Ergo ipsum esse morale formaliter consistit in libertate. Respondeo antecedens falsum esse, nam etsi proprietates illæ nō competant nisi actui libero, non tamen ei competunt precisè ut liber est, ut vel ex eo patet, quia si impossibile, actus voluntatis non respiceret regulas morum, non esset dignus laude, aut vituperio, quantumvis liber esset. Quare formaliter loquendo, libertas actus non est illius moralitas, sed potius causa, vel fundamentum moralitatis.

Tertia itaque pars ex dictis colligi potest, & prætereà suadetur: nam cum actus liber intrinsecè tendat ad obiectū, & ab eo speciem moralitatis sumat, ut infra ostendetur, consequenter dicendum est, eum etiam habere per ordinē ad obiectum, rationem genericam moralitatis, seu quòd sit moralis. Quod intellige de obiecto, non entitatiuè, seu quoad esse naturale, sed moraliter, seu quoad esse morale spectato, quale est per ordinem ad regulas morum, quatenus iis dictatur illud esse amplectendum, vel fugiendum: sic enim tantum habet proportionem, cum actu morali formaliter spectato, cumque terminare potest. Confirma-

DE BEATITVDINE. CAP. II. III
tur, nam sicut nihil potest dici artificiale
nisi per respectum ad regulas artis; ita
nihil potest dici morale, nisi per ordi-
nem ad regulas morum.



CAPVT III.

Vnde sumatur bonitas & malitia actus.

CONCLVSIO I.

Bonitas, vel malitia actus sumitur ex
obiecto.) Ita S. Thomas 1. 2. quaest.
8. art. 2. quod probat, quia bonum & ma-
lum in rebus attenditur, quoad plenitudi-
nem essendi, vel defectum eius; primum
autem ad plenitudinem essendi pertinere
videtur, & est id quod dat rei speciem. At
sicut res naturalis habet speciem ex sua
forma, ita actio speciem ex obiecto,
tanquam motus ex termino. Quare sicut
prima bonitas rei naturalis attenditur ex
sua forma, quæ dat ei speciem, ita &
prima bonitas actus moralis attenditur
ex obiecto conuenienti. Et quemadmo-
dum in rebus naturalibus primum ma-
lum est, si res genita non consequitur

formam specificam ; ita primum malum in actionibus moralibus est, quod ab obiecto procedit.

Ex quo discursu nonnulla colligi debent. 1. actus humanos sumere bonitatem, vel malitiam ab obiecto, quod non debet ita intelligi, ut bonitas vel malitia per veram & realem efficientiam, actibus humanis communicetur ab obiecto: perspicuum enim est, obiectum, cum sit res aliqua externa, in actus voluntatis eo modo non influere; sed ita ut prædicta sumantur ab obiecto, tanquam à forma extrinseca, complente potentialitatem quam actus dicit, eo ipso quod est quædam via, & tendentia ad ipsam.

Collige 2. primam bonitatem, vel malitiam actus moralis sumi ab obiecto; quod ita intellige, ut cum actui morali, ut moralis est, variae bonitates aut malitiae cõpetere possint, ut ex dicendis perspicuum fiet; illa quæ sumitur ab obiecto, sit omnium prima in eo genere, adeo ut alia hanc necessario præsupponant. Quemadmodum in iisdem actibus, secundum entitatem naturalem spectatis, est quidam ordo inter perfectiones iis competentes, & vna præsupponitur ab alia.

Dixi in eo genere: nam cum genus moris præsupponat naturam, bonitas

DE BEATITVDINE. CAP. III. 113

quoque moralis quæcunquæ fit, upponit bonitatem naturalem, & entitatiuam. Ex quo intelligis, quæ hîc docet S. Thomas, non repugnare iis quæ habet art. 4. cùm ait, quadruplicem esse bonitatem in actione humana, quarum primam ait esse secundum genus, & sumi ab entitate; aliam secundum speciem, quam petit ab obiecto conuenienti; tertiam secundum circumstantias, quasi secundum accidentia quædam. Quartam denique secundum finem, quasi secundum habitudinem ad bonitatis causam.

Collige 3. bonitatem, aut malitiam quam actus sumit ab obiecto, esse specificam quoad gradum speciei vltimum: quamuis enim ab obiecto dicatur sumi bonitas, aut malitia ex genere, monet tamen S. Doctor debere tunc sumi genus pro specie: sicut quando totam humanam speciem vocamus, genus humanum. Neque refert quòd bonitati, aut malitiæ ex obiecto superueniat bonitas, aut malitia ex circumstantiis: quia cum actus sit constitutus in specie completa, per ordinem ad obiectum, bonitas aut malitia superueniens ex circumstantiis, non eum contrahit, eo modo quo differentia contrahit genus, illud complendo in esse specifico, sed eo modo quo accidentia spe-

ciem iam constitutam determinant, & perficiunt.

CONCLUSIO II. Bonitas, vel malitia actus humani sumitur etiam ex circumstantiis.) Quia, ut ait S. Doctor art. 3. quemadmodum in rebus naturalibus non inuenitur tota plenitudo perfectionis, quæ debetur eis, ex forma substantiali quæ dat speciem, sed multum superadditur ex superuenientibus, quorum si aliquod desit ad decentem habitudinem, consequitur malum. Ita plenitudo bonitatis actus non consistit tota in sua specie, sed aliquid additur ex his quæ adueniunt tanquam accidentia quædam, quales sunt circumstantiæ debitiæ. Unde si aliquid desit, quod requiratur ad debitas circumstantias, actio erit mala.

Ut autem ista melius innotescant, Nota 1. circumstantiarum nomine hic intelligi quædam accidentia actuum moralium, quæ supponunt eos esse iam constitutos in sua specie, per ordinem ad obiectum; quæque proinde sunt extra eorum substantiam, illosque veluti circumstant. Ita tamen ut non modo actus morales comitentur, sed etiam eos quodammodo attingant, & afficiant, adeo ut ad eorum bonitatem, vel malitiam conducant.

DE BEATITVDINE. CAP. III. 115

Nota 2. nullum esse actum moralem, qui non accipiat aliquid bonitatis, aut malitiâ quibusdam circumstantiis; siquidem nulla est actio humana in qua, præter rationem illius specificam, sumptam ab obiecto, non possit observari aliquid accidentarium, spectans vel ad modum agendi, magis aut minus intense; vel ad quantitatem obiecti, quod sit paruum, aut magnum, & sic de aliis. At dubium non est, quin hæc conducant ad bonitatem vel malitiam humanæ operationis, nam si operatio bona est ratione obiecti, melior erit si fiat cum maiori intensiõne, quàm si fiat cum minori. Contrà verò, actus malus ex obiecto, eo peior erit, quo intensior.

Dices 1. vt prædicta accidentia dent bonitatem, aut malitiam actui voluntatis, debent esse per illum volita, ergo iam se habent vt obiectum voluntatis, non autem vt circumstantiæ supponentes obiectum; adeoque rupugnat quòd circumstantiæ, vt sic, dent bonitatem, aut malitiam actui voluntatis. Respondeo istud non sequi, nam vt circumstantiæ dent bonitatem aut malitiam, satis est quòd secundariò, aut concomitanter sint volitæ, ac proinde quòd sint obiectum secundarium voluntatis. Sic autem distinguuntur

ab obiecto primario, circa quod voluntas directe fertur.

Dices 2. continuatio est circumstantia actus moralis, at hæc saltem nec tribuit illi bonitatem, aut malitiam; quia cum actui elicito respondeat in primo instanti moralitas determinata, & in qualibet temporis parte instantia sint infinita, si mera actus continuatio ad bonitatem, aut malitiam conduceret, sequeretur actum humanum, vel ex eo precise quod per breuissimum tempus continuaretur, bonitatem, aut malitiam infinitam habiturum. Respondeo negando minorem, actus enim per se loquendo eo melior, aut peior est, quo amplius protenditur. Et ad probationem dicendum est, etsi bonitas, aut malitia respondeat per se actui in primo instanti, non tamen in instantibus continuatiuis partium temporis quo actus durat; cum voluntas non velit actum continuare in illis instantibus, nisi per accidens, seu quatenus uult ut duret per partes temporis, iis instantibus copulatas. Quare etsi instantia illa dicantur infinita, non inde sequitur bonitatem, aut malitiam actus fore infinitam.

Quod si instes, argumentum posse instaurari, de ipsis partibus proportionalibus temporis, quia cum sint infinitæ, se-

DE BEATITVDINE. CAP. III. 117

quetur moralitatem actus ipsis respondentem, esse quoque infinitam. Dicam hinc vt summum colligi, quod sicut in tempore quo durat actus bonus, vel malus, non sunt actu partes infinitæ, sed potentia duntaxat; ita ei respondet vnus quidam gradus bonitatis, aut malitiæ qui est in potentia diuisionis in alias, & alias partes bonitatis, vel malitiæ in infinitum.

CONCLUSIO III. Actio humana sumit bonitatem, vel malitiam ex fine.) Ita S. Thomas art. 4. Et ratio est, quia in actu humano duplicem finem possumus considerare, vnum proximum, qui & dicitur finis operationis, alium remotum, seu extrinsecum qui etiam finis operantis appellatur. Si agatur de priori fine, cum ille nihil aliud sit, quam ipsum obiectum humanæ operationis; non magis dubitari potest, actum humanum ab eo, quam à proprio obiecto sumere speciem. Si verò quæstio sit de posteriori, certum etiam est bonitatem actus humani ab eo pendere, cum inter circumstantias illius numerari soleat. Imò sit præcipua inter illas; cum aliæ se habeant tantum per modum accidentis, finis verò sit etiam causa actus humani.

Quæres I. an actus habeat duplicem speciem bonitatis, quando obiectum est bonum, & finis operantis bonus. Respondeo cum distinctione: nam si homo non operatur, nisi propter finem intrinsecum ipsius operis, ut si castitatem seruat, propter solum amorem ipsius castitatis, tunc actus habet tantum speciem & bonitatem temperantiæ, si autem operatur ex bono fine extrinseco, in quem operatio per se non ordinatur, ut dum quis vult castitatem colere, ex amore Dei, in eo casu actus bonus est in duplici specie bonitatis, nempe castitatis, & amoris Dei. Rationem affert S. Doctor art. 7. quia quando obiectum non est per se ordinatum ad finem, differentia specifica quæ est ex obiecto, non est per se determinatiua eius, quod est ex fine, nec est cõuerso. Vnde vna istarum specierum non est sub alia, sed tunc actus moralis est sub duabus speciebus quasi disparatis. Vnde dicimus quod ille qui furatur, ut mœchetur, committit duas malitias in vno actu. Ex quo exemplo patet, doctrinam traditam esse veram, etiam in actibus malis, quando non modo obiectum malum est, sed etiam refertur vterius ab operante, in finem malum extrinsecum.

Quæres 2. quid sentiendum sit quando obiectum est bonum, & finis malus, aut vice versa, obiectum malum, & finis bonus. Respondeo 1. in priori casu actum esse simpliciter malum, adeoque non constitui in duabus speciebus, bonitatis scilicet & malitiæ, sed duntaxat in specie malitiæ; ut quando aliquis erogat elemosynam feminæ egenti, eo fine ut facilius eam ad consentiendum peccato inducat. Ratio est, quia etsi obiectum secundum se bonum sit, non tamen hic & nunc, cum non appetatur sub ratione boni, sed quatenus præcisè ordinatur ad malum finem, qua ratione malum est.

Dices, nonne potest homo operari ex habitu virtutis, verbi causa, dare elemosynam ex misericordia, esto talem actum referat in finem vanæ gloriæ? In eo ergo casu actus ut à virtute procedens, erit bonus, ut autem relatus ad vanam gloriam, erit malus, sicque habebit simul speciem bonitatis, & malitiæ. Respondeo suppositionem illam esse impossibilem, cum enim virtus moralis non inclinet ad actum, nisi ut honestum, repugnat ab homine ut virtute prædito, elici actum relatum in finem malum, eo quòd talis relatio intrinsecè repugnat honestati actus.

Instabis, confessionem fidei procedere posse à fide supernaturali, etsi fiat ob vanam gloriam, vt communiter docent Theologi 2.2. quæst.4.art.5. Verùm oppositum longè probabilius esse ostendetur Deo dante.

Et quãuis id daretur, posset dici, virtutes intellectuales, qualis est fides, non ferri per se in bonum morale; sed in verum; adeoque etsi earum actus in malum finem ordinentur, non sequi duplicem speciem moralem, aliam bonitatis ex obiecto, aliam malitiæ ex fine iis competere,

Respondeo 2. quando obiectum est malum & finis operantis bonus, actum esse simpliciter malum: adeoque non habere speciem bonitatis, & malitiæ, sed malitiæ dumtaxat, vt si quis furetur ex intentione dandi eleemosynam. Ratio est, quia etsi dare eleemosynam sit bonum secundum se, est tamen simpliciter malum dare eleemosynam ex bonis furto sublati, cum hoc rectæ rationi repugnet. Quare actus quo quis vult furari, vt det eleemosynam, neque ex obiecto, neque ex fine bonus esse potest, sed vndeque est malus.

Dices, actus bonus sumit speciẽ boni
ex

ex bono fine, vt ostensum est: quare ergo idem sentiendum non erit de actu malo? Respondeo causam discriminis esse, quia bonum est velle obtinere finem bonum, per medium bonum: malum autem, eum velle asse qui per medium malum, & lege prohibitum.


Respondeo 3. actum ex obiecto malum non sumere speciem malitiæ ex fine bono, sed tantum ex obiecto, adeoque non habere nisi vnã speciem malitiã. Ratio est, quia cùm finis ex se bonus sit, quòd autem in eo casu sit malus, id non habeat nisi ratione obiecti, quatenus nempe per mediũ malũ acquiritur; hinc fit, vt actus in eum tendens non aliam habeat malitiã, quã quæ oritur ex tendentia in obiectum malum. Confirmatur, nam verbi causa, velle priuata auctoritate occidere proditorem, vt auertatur nocumentum Reipublicæ, non repugnat nisi præcepto nõ occidendi. Quare actus ille non habet nisi malitiã homicidij.

Neque refert quòd, velle occidere ex intentione furandi, sit in duplici specie malitiæ, nempe homicidij, & furti: non enim est par ratio, quia furari per se malum est, & prohibitum; at dare eleemosynam non est malum, & prohibitum, nisi

de Beatitudine,

F

quatenus hoc fit ex bonis alterius, inuito Domino, erogatis.



CAPVT IV.

An dentur actus humanis indifferentes.

CONCLUSIO I.

Dantur aliqui actus indifferentes, secundum speciem suam.) Probat-ur ex art. 8. quia actus humanus habet speciem ab obiecto, relato ad principium actuum humanorum, quod est ratio: unde si obiectum includit aliquid conueniens ordini rationis, erit actus bonus secundum suam speciem, sicut dare elemosynam indigenti: si autem includat aliquid repugnans ordini rationis, actus erit malus secundum speciem, sicut furari. Quod si contingat, obiectum non includere aliquid pertinens ad ordinem rationis, siue per modum conuenientis, siue per modum disconuenientis, erit actus secundum speciem indifferens, sicut (inquit S. Doctor leuare festucam, ire ad campum, &c.

Dices 1. repugnat quod obiectum non sit conueniens, aut disconueniens, cum inter hac duo non detur medium.

DE BEATITVDINE. CAP. IV. 123

Respondeo hoc totum gratis affirmari, quia sicut potest dari obiectum aliquod medium inter præceptum, & prohibitum, quod nempe neutrum est, ita potest dari obiectum medium inter conueniens, & disconueniens positiuè. Quod si instes, bonum & malum opponi priuatiuè, adeoque inter illa non dari medium, responsio in promptu est 1. antecedens dubium esse, patebit ex infra dicendis, de formalitate peccati, 2. eo gratis dato, falsam esse consequentiam; quia inter formam, & illius priuationem, datur mera negatio formæ non debitæ.

Dices 2. cum species rerum sint immutabiles, si esset aliquis actus quoad speciem indifferens, sequeretur talem actum non posse fieri bonum, vel malum, quod tamen absurdum est. Respondeo negando id sequi, eam quando dicimus actum aliquem esse indifferens, secundum speciem; hoc non debet sic intelligi, ut per differentiam aliquam positiuam constituatur in tali specie, sed ita ut dicatur indifferens negatiuè, quatenus etsi capax sit relationis conuenientiae, aut disconuenientiae ad rectam rationem, adeoque bonitatis, aut malitiae neutrum tamen de facto ex illis habet.

CONCLUSIO II. Ex probabi-

F 2

lioni sententia, non datur actus aliquis indifferens in indiuiduo, sed omnis eiusmodi actus; si procedat ex sufficienti deliberatione est bonus, aut malus.) Ita S. Doctor art. 9. quod probat, quia cum sit rationis ordinare, actus à ratione deliberatiua procedens; si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali: si verò ordinetur ad debitum finem, conuenit cum ordine rationis, vnde habet rationem boni: necesse est autem, quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem. Quare necesse est, omnem actum hominis à deliberatiua ratione procedentem in indiuiduo consideratum, bonum esse, vel malum.

Confirmatur hæc ratio, nam dubitari non potest, quin sit malum, non apponere bonum finem operationi, si homo teneatur suas omnes actiones in bonum finem referre. Quod autem ad hoc teneatur, probatur 1. quia ex fide constat, hominem in die iudicij rationem redditurum de verbo otioso, dicitur autem verbum otiosum, quod caret fine debito. 2. quia cum ipse homo creatus sit propter bonum finem, quæ ratio est, cur non teneatur omnes suas actiones in eum finem dirigere? 3. quia si ille culpam incur-


rit, qui pecunias inutiliter, seu sine bono fine expendit; quomodo peccatum cauebit, qui operationes suas, multò preciosiores auro, vel argento in nullum bonum finem refert? 4. quia planè illicitum est vti fruendis, aut frui vtendis, at non referre operationes suas in finem aliquem bonum, quid hoc aliud est quàm frui vtendis?

Dices 1. valde durum videri, quòd omnes actus non relati in finem bonum, sint peccata, quia sic innumera ferè peccata venialia singulis diebus ab hominibus committerentur. Deinde. fricare barbam, expuere in terram, mouere pedem vel manum, & similia, essent sufficiens materia confessionis, si non referrentur in bonum finem, hoc autem videtur ridiculum. Respondeo 1. supposita obligatione operandi ob finem honestum, sequi omnes actus deliberatos in eiusmodi finem non relatos, esse peccata; neque hoc magis durum debere videri, quàm quòd omnia verba otiosa sint peccata. Cur enim actio otiosa non erit mala, si verbum otiosum malū est? Respondeo 2. multas ex dictis actionibus, plerùmque fieri incogitanter, aut sine sufficienti deliberatione, sicque non esse malas: aliquando verò fieri ob leue ali-

quod commodum naturæ, qua ratione sunt aliquantulum bonæ. Respondeo 3. quando actus illi deliberatè fiunt, sine villo fine bono, esse sufficientem materiam confessionis, neque hoc esse ridiculum, cum alij actus otiosi sub confessionem cadere possint, ac præterea opus non sit, prædictos actus in particulari declarare, sed sufficiat si pœnitens generatim dicat, se varios actus otiosos edidisse; sicut se dicit plura verba otiosa protulisse.

Dices 2. si potest dari actus indifferens quoad speciem, quare non & in individuo? Nulla enim est species, quæ sub se non contineat, aut continere possit aliquod individuum. Respondeo ex S. Doctore ad 1. duobus modis posse dici aliquem actum indifferentem quoad speciem, primò ita vt ex sua specie debeat ei quòd sit indifferens, secundo quia non habet ex sua specie quòd sit bonus, vel malus, potest tamen per aliquid aliud fieri bonus vel malus. Si daretur actus quoad speciem indifferens priori modo, sequeretur posse etiam dari aliquem actum indifferentem, quoad individuum. Verum quia quãdo nos admittimus actum aliquem indifferentem quoad speciem, loquimur tantum in posteriori sensu, hinc non potest colligi,

DE BEATITVDINE. CAP. IV. 127
actum etiam indifferentem quoad indi-
uiduum, esse possibilem. Quia quando
proceditur ad opus, oportet vt actio alio-
qui secundum se, & ex parte obiecti in-
differentis, habeat finem, aliasque circun-
stantias debitas, vel iis careat; ac proinde
sit bona, vel mala, non quidem ratione
obiecti, quia sic semper est indifferens,
sed ratione circumstantiarum.



CAPVT V.

De conscientia.



SECTIO I.

Quid sit.

CONCLUSIO I.

Conscientia est actus ille intelle-
ctus, quo iudicamus aliquid esse
faciendum aut non faciendum.) Vt hoc
clarius percipias, Notandum 1. ex S.
Thoma 1. p. quæst. 79. art. 13. conscien-
tiam consistere in actu, vt patet, tum
quia ex vi nominis, dicit ordinem seu

applicationem scientiæ ad aliquid, tum quia conscientia dicitur testificari, quatenus aliquid fecimus, vel non fecimus; dicitur ligare, vel instigare quatenus iudicamus aliquid faciendum esse, aut non faciendum; dicitur excusare, vel accusare, seu remordere quatenus aliquid bene, aut malè factum cognoscimus: ista autem omnia actum aliquem denotant.

Notandum 2. conscientiam etsi latè significet iudicium, tam de factis, quàm de faciendis, hîc tamen sumi à nobis strictè, pro iudicio de faciendis, cùm eã inspiciamus tanquam regulam internam, quam in operationibus nostris sequi debemus: vnde illud est discrimen inter conscientiam & synderesim, quòd synderesis est habitus quidam quò cognoscimus prima principia practica: conscientia autem est iudicium actuale, de conclusione deducta ex eiusmodi principiis: ita vt non solùm per illam iudicemus, quid bonum, quid malum sit, sed etiam quid à nobis agendum sit, quid non agendum.

Notandum 3. conscientiam esse multiplicem nimirum rectam, erroneam; dubiam, probabilem, & scrupulosam. Recta dicitur, quæ dictat esse bonum, quod bonum est, malum, quod malum. Erronea,

DE BEATITVDINE. CAP. V. 129
quæ dicitur esse bonum, quod malum est,
aut vice versa. Dubia, quæ velut anceps
manet, ita vt nec assensum præbeat, nec
dissensum. Probabilis, quæ nititur fun-
damento probabili, non tamen planè cer-
to, propter oppositam dubitandi ratio-
nem. Scrupulosa quæ vni parti adhæret,
sed cum anxietate, leui fundamento in-
nixa. Cùm autem dubium non sit, quin
homo conscientiam rectam sequi tenea-
tur, de aliis nonnulla in sequentibus sta-
tuenda erunt.

SECTIO II.

Quomodo obliget.

CONCLUSIO I.

Peccatum est agere contra conscien-
tiam errantem.) Probatur, nam pec-
catum est agere contra proximam agen-
di regulam: at proxima agendi regula
est ratio dicitans quid agendum, aut non
agendum sit, eaque ratio non differt à
conscientia, quare contra conscientiam
agere peccatum est. Confirmatur, nam
qui facit, quòd iudicat esse malum &

FS

prohibitum; aut qui non facit, quod putat esse bonum, & præceptum, satis ostendit se velle malum & peccatum, adeoque peccat, etsi illius iudicium falsum sit.

Est autem hic obseruandum 1. quando conscientia est inuincibiliter errans, eam obligare ad faciendum quod ipsa dictat, quod cum voluntas sit potentia cæca, tenetur sequi iudicium intellectus ostendentis quid agendum, quidue fugiendum sit, saltem quando ignorantia est inuincibilis, seu talis vt intellectus, positis his circumstantiis, non possit prudenter aliud iudicare: nulla enim ratio apparet, cur tunc non teneatur voluntas se conformare proximæ suæ regulæ, quæ alia non est quam conscientia; seu ratio dictans hoc, aut illud faciendum esse.

Obseruandum 2. quando conscientia errat vincibiliter, eam quidem, quandiu durat, obligare ne quis contra illa faciat, non tamen vt iuxta illam operetur. Quod hoc exemplo explicari solet. Putat Titius ex ignorantia culpabili, ne necessarium esse mentiri, pro tuenda alicuius vita; in eo casu ille quidem non tenetur mentiri, quia cum ignorantia cum non excuset, mentiendo peccaret: at nemini potest imponi obligatio peccandi. Quia tamen iudicat mentiendum

DE BEATITVDINE. CAP. V. 131
esse, tenetur non facere contra hoc dictamen, adeoque non mentiendo, peccat.

Dices, ergo Titius, quicquid egerit, necessario peccabit, quod absurdum est. Respondeo hoc verum tantum esse, ex hypothesi quod Titius non deponat conscientiam erroneam, simpliciter autem falsum, cum possit errorem vincere, & a mendacio abstinere. Quod si dicat, se non posse tunc conscientiam errantem deponere, cum nullo modo de errore dubitet, aut non habeat quem consular, iam error est inuincibilis, adeoque illius dictamen sequi tenetur, mentiendo pro salute alterius, Neque tale mendacium est peccatum formaliter sed potius actus misericordiae, ratione finis intenti, a quo speciem sumit: quin verò Titius in eo casu mentiri renuens, peccat contra charitatem proximi.

Observandum 3. Titium quando inuincibiliter putat, mentiendum esse pro salute proximi, non adeo graviter peccare, si sequatur dictamen conscientiae, quam si illud negligat: quin in priori casu, reus tantum est mendacij officiosi, in posteriori homicidij. Oppositum tamen potest contingere in aliis occasionibus, ut nempe maius peccatum sit, sequi con-

scientiam vincibiliter errantem, quàm nõ sequi quod iuxta materiæ grauitatem expendi debet.

Obseruandum 4. eum qui, ex errore inuincibili, putat se, siue hoc egerit, siue oppositum, peccaturum, non peccare alterutram contradictionis partem sequendo, verbi causa, qui cum nequeat simul sacro interesse, & infirmum curare, existimans se peccaturum siue infirmum deserat, siue sacrum omittat, non peccat infirmum deserendo, aut sacrum non audiendo. Quia ex communi sententia, homo nunquam perplexus esse potest, ita scilicet vt necesse sit eum peccare. Si tamen in eo statu constitutus non tantum existimet vtrumque esse peccatum, sed etiam vnum altero esse grauius, tenetur eligere quod minus malum iudicat, & se-
cus faciens peccat.

CONCLUSIO II. Ille peccat qui facit aliquid, practice dubitans esse peccatum.] Vt hoc intelligas, nota aliud esse dubium speculatiuum, aliud practicum; speculatiuum habet locum, quando quis dubitat de re aliqua in genere, an sit licita, vel illicita, practicum vero quando dubitatur hinc & nunc, quo tempore aliquid faciendum est, an liceat illud, vel non. Et de posteriori hoc dubio

DE BEATITVDINE. CAP.V. 133

procedit nostra conclusio, quæ ea ratione probatur, quia faciens aliquid quod dubitat esse peccatum, exponit se periculo peccandi, satisque ostendit se habere effectum ad peccatum, adeoque peccat, vt in simili superius diximus. Hinc peccas, si scribas, aut iter facias die festo, practicè dubitans an hoc tibi liceat: Imò tale peccatum committis, quale esse dubitas.

Dico, practicè dubitans, nam si dubium non sit practicū, sed speculatiuum duntaxat, peccatum non est, agere cum tali dubio: qui enim ita agit, cum ex causa rationabili dubium in praxi deponat, nō censetur habere affectum ad peccatum, aut se exponere peccandi periculo. Exemplum sit in militibus, qui licitè possunt bellum genere, etsi de iustitia illius speculatiuè dubitent, modo in praxi tale dubium, ex causa rationabili, deponant.

Ex his varij casus resolui possunt. Primus est, an possessio bone fidei, in materia iustitiæ, sit titulus sufficiens deponendi conscientiam dubiam. Respondetur affirmatiuè, quia etsi qui non possidet, habeat æquale ius in proprietate, alter tamen excedit, quoad titulum possessionis, adeoque in dubio pro illo iudican-

dum est. Hinc, si rem aliquam bona fide possides, & dubitas an tua sit, potes eam retinere, si præmissa sufficienti diligentia, non potes dubium vincere: siquidem ex vulgari proloquio, in dubio melior est conditio possidentis.

Secundus, an tenearis votum implere, quando dubitas te illud emisisse. Respondeo negatiuè, quia melior est conditio voluntatis, possidentis libertatem suã, & aliunde durum videtur, quòd quis cogatur stare promissis, quando non potest probari, an promissio facta sit. Teneris tamen votum soluere, si constat quidem te vouisse, dubitas, tamen an intentio vouendi adfuerit: quia, ex iure quando constat de facto, quæ ad illud necessaria sunt, præsumuntur adfuisse, nisi oppositum proberur.

Tertius, an tenearis seruare aliquod præceptum, quando post sufficientem inquisitionem adhuc dubitas, num illud extet. Respondeo negatiuè, ob rationem allatam. Et idem dic, quando, etsi constet præceptum impositum fuisse, dubium tamen manet, an ad talem casum se extendat: quia hoc perinde est, ac si de illius existentia dubitaretur. Quòd si de utroque certus es, dubitas tamen num satisfeceris, teneris satisfacere, cum debito

DE BEATITVDINE. CAR. V. 135
certo satisfieri nequeat, solutione dubia.

Quartus, an tenearis obedire tuo superiori, quando dubitas, num quod præcipit, licitum sit, aut ipsius potestatem excedat. Respondeo affirmatiuè, quia vt diximus, in dubio melior est conditio possidentis: at superior possidet ius præcipiendi, ergo pro illius præcepto standū est, quandiu non probatur, illud esse de re illicita, aut supra potestatem illius. Et quamuis verum sit, cum non posse illicita præcipere, cum tamen ille putet licitum esse præceptū, de cuius tu honestate dubitas, æquius est vt illius hac de re iudicio stemus, quàm tuæ dubitationi.

Nota, quòd etsi in dubiis possimus sequi partem fauorabiliorem, vt patet ex iam dictis: certum tamen est, optimum esse consilium partem tutiorem amplecti, verbi causa, restituere id de quo dubitas, an tuum sit: votum implere, quando dubium est, num illud emiseris, &c. Imò ex iure constat, eum esse irregularem, qui dubitat, an sit reus homicidij: vt si dedit causam abortui, & dubitatur an foetus esset animatus. Neque in eo hoc casu melior est conditio libertatē quoad possidentis, vt in præcedentibus.

CONCLUSIO. IV. Ille non peccat, qui sequitur opinionem probabi-

bilem, relicta probabiliori.) Explico; opinio dicitur probabilis quæ firma aliqua ratione nititur. Vnde ad opinionem probabilem constituendam, non est necesse vt multi Doctores eam sequantur, sed satis est quòd vnus, aut alter vir doctus & pius illi, ex aliquo non leui fundamento, assentiatur. Dicitur verò opinio probabilior, quæ efficaciori rationi innititur, siue plures pro se authores habeat, siue non. Quamquam sæpe contingit, vt ea opinio sit probabilior, quæ est communior.

Hoc posito, probatur Conclusio, quia cum opinio probabilis firma aliqua ratione fulciatur, vt dictum est, qui ex ea operatur, rationabiliter operari censetur, adeoque non peccat, etsi oppositam probabiliorē existimet: præsertim cum facile contingere possit, vt opinio quam in praxi sequitur, sit probabilior alia quam deserit.

Neque dicas, per se loquendo quidem non esse malum, sequi sententiam probabilem, esse tamen si alia sit probabilior: hoc enim falsum est, quia aliàs sequeretur omnes teneri sub peccato, ad ea quæ sunt perfectiora; adeoque cum virginitas sit perfectior matrimonio, quotquot matrimonium ineunt, pecca-

rent. Effet etiam locus continuis scrupulis, animique anxietatibus, eò quòd in quolibet negotio diligenter inquirendū esset, quænam opinio sit probabilior.

Quòd si iustes, eum imprudenter agere, & peccare qui se exponit peccandi periculo. Respondeo hoc verum esse, non tamen habere locum in eo, qui sequitur sententiam probabilem: cum enim talis sententia solida ratione fulciatur, virique sapientes & timorati eam sequantur, dici non potest, eum se exponere peccandi periculo, qui ex illa operatur. Maxime, quia etsi forte illa pro se paucos auctores habeat, ex communi tamen sententia, etiam eorum qui pro opposita stant, nullum est periculum, si eam in praxi sequaris. Vnde etsi ea in se sit minus probabilis, longè tamen probabilius est, quòd eam sequi liceat.

Ex hac doctrina varia colligi debent pro praxi, Primò, posse Confessarium consilium dare, iuxta opinionem probabilem, dimissa probabiliori, quam ipse amplectitur. Cum enim ipsi liceat se conformare eiusmodi sententiæ, nulla est ratio, cur non etiam aliis eam consulere possit, tanquam in praxi securam.

Secundò, posse Confessarium contra

propriam opinionem absoluerit pœnitentem, qui sententiam oppositam probabilem sequitur. Ratio est, quia cum pœnitens sequendo eiusmodi opinionem, non peccet, ut dictum est, adeoque id nō impedit, quominus possit omnia sua peccata, cum vero dolore confiteri, nulla ratio est, cur nequeat Confessarius absolutionem ei impendere. Imò cum ex parte pœnitentis apponatur, quicquid necessarium est ad legitimam confessionē, non modo potest Confessarius eum absolueri, sed etiam ad hoc tenetur.

Tertiò, si contingat, quoad licitum vsum Sacramentorum, esse utrinque opinionem probabilem, posse ministrum alterutram pro arbitrio eligere; quia sicut in aliis materiis, ita & in ista, qui operatur ex sententia probabili, operatur rationally & prudenter, adeoque non peccat. Est autem maior difficultas, an, agēdo de ipso valore sacramenti, liceat relinquere quod certum est, & assumere quod dubium est, & probabilè. Respondeo, per se loquendo, hoc non videri illicitum, ut ex dictis colligi potest, & confirmatur, quia aliàs non nisi contritū de peccatis liceret absolueri, nec posset iniri matrimonium coram proprio Parocho non Sacerdote, vel in aliena Paro-

ehia existente. Sunt tamen varij casus in quibus, vel propter receptam consuetudinem, vel ob speciale Ecclesiæ præceptum, non licet dimissis certis, vti probabilibus in vsu Sacramentorum. Vnde peccaret, qui daret Baptismum in nomine genitoris geniti, & procedentis ab vtroque: & qui in Confirmatione vteretur simplici oleo. Imò si ministratur Sacramentum necessarium ad salutem poenitentis, charitas proximi postulare videtur, vt probabilibus dimissis, certa tantum adhibeantur.

Quartò, quando non suppetit medicamentum certum, sed tantum probabilia, seu quæ probabile est infirmo profutura, posse medicum illud vsurpare quod probabile est, relicto probabiliore; sicut enim Medicus spiritualis, ita & corporalis potest operari, ex aliorum sententia, quam ipse probabilem iudicat, & illi probabiliorem, quæque forte à parte rei probabilior est & securior: præsertim cum alij Medici sequentes eam sententiam, debitè procedant in curatione ægroti: & aliunde valde durum sit, imponere medico onus accuratè expendendi, quodnam medicamentum sit probabilius, quoties ad infirmum curandum accedit. Dixi, quando non suppetit medi-

mentum certum: si enim medicinae certae habeatur copia, communis est sententia, medicum teneri eam adhibere, relicta probabilis: quia alias infirmum imprudenter periculo exponeret.

Sed quid, si non habeatur medicamentum certum, aut probabile, & nulla sit spes de salute infirmi, licebit ne tunc applicare remedium aliquod dubium, seu de quo dubitatur, an profuturum, an verò nociturum sit? Responsio negativa est multorum, quia tale medicamentum adhibere est ex se dare causam mortis, cum nulla sit probabilitas, an tale non sit, ut vi sua mortem illaturum sit, etsi aliunde mors sequutura non esset. Hoc etiam à parte rei aliud nihil est, quàm velle experiri quænam vis tali medicamento competat, quod ab omnibus damnatur tanquam illicitum. Quare non potest Medicus aliquod medicamentum applicare, nisi adsit probabilitas aliqua quòd profuturum sit, aut certitudo quòd non sit nociturum.

Alij tamen non improbabiler oppositum docent quia cum salus ægri sit desperata, ut supponimus, longè minus malum est, eum exponere aliquali periculo accelerandi mortem aliunde certò obuenturam, dando remedium dubium,

DE BEATITVDINE. CAP. V. 141

quòd forte illi proderit, quàm omnem illius curam abiicere. Neque hoc est, per se loquendo, dare causam mortis, quia Medicus nescit, an medicamentum illud obfuturum sit, & aliunde aliquatiter sperat illud profuturum, in summa illa morbi desperatione, quia aliàs non adhiberet. Quare prudeuter agit, nec damnari potest, quod in dicto casu medicamentum dubium velit experiri; sicut illi iure damnantur, qui cùm remedia vtilia, & probata suppetant, ignota adhibent, vt eorum vim experiantur, sicque ægiorum periculo doctiores in sua arte euadant.

Quintò, posse iudicem sententiam ferre ex opinione probabili, relicta probabiliori, vt patet ex dictis, ob paritatis rationem. Neque dicas, iudicem teneri ei fauere, qui firmitus habet ius: hoc enim verum est de eo, qui absolutè, & iuxta communem omnium sententiam, firmitus ius habet, non autem de illo, de cuius iure probabiliter, & cum fundamento dubitatur. Vnde potest Iudex, sine peccato, rem de qua agitur, ad iudicare tunc illi, qui ex opinione probabili ius integrum in ea habet. Præsertim cùm alij putent, opinionem il-

lam esse probabiliorem, possintque ipsa
tuta conscientia iuxta eam procedere.
Veram non dubito quin tutius sit in
praxi, iudicare iuxta opinionem proba-
biliorem, & ita consulendum arbitror.
Si tamen constaret, probationes vtrin-
que esse æquales, tam de facto, quàm ex
iure, deberet Iudex, rem, de qua lis
mota est, inter vtramque partem diui-
dere; aut si diuidi nequit, partes inter
se componere, eò quòd singulæ in eo
casu ius æquale habent.

Sextò, posse Aduocatum causam
probabilem defendere, contra eam quam
putat probabiliorem. Sicut enim licet
clienti, ob probabilem rationem, ius
suum coram Iudice quærere, aut tueri;
ita licet Aduocato illius causam susci-
pere, quando nouit eam verè esse pro-
babilem. Siquidem Aduocatus gerit
tantùm partes clientis, illiusque ius sin-
cerè proponit Iudici, vt eo percepto
iustam sententiam ferat, qua in re nulla
est inordinatio.

CONCLUSIO V. Licitum,
& laudabile est agere contra scrupu-
lum.) Ratio est, quia etsi quis ex scrupu-
lo suspicetur, actum aliquem esse ma-
lum, id non impedit quin aliunde iu-
dicet esse bonum; quare potest tali iu-

dicio siue certo, siue tantum probabili, se confirmare contra scrupulum, vt constat ex supradictis. Neque dicas eum qui ita agit, facere contra conscientiam: hoc enim falsum est, cum non obstante scrupulo, conscientia dicet, talem actum esse bonum & licitum, Alias si tale iudicium abesset, iam hoc non esset scrupulus, sed dubium, adeoque obseruandum esset quod de conscientia dubia conclusione 3. dictum est. Vnde quando in iure dicitur, habentem scrupulum circa valorem matrimonij, non posse debitum petere, ibi scrupuli nomine dubium intelligi debet.

Nota 1. scrupulos oriri ex variis causis, nempe ex ignorantia, ex dæmonis suggestione, ex melancholia, & nimia corporis maceratione, ex debilitate mentis, &c.

Nota 2. vt quis à scrupulis liber euadat, eum debere contra scrupulos agere, eorum rationes spernere, dictis Superioris, aut Confessarij, vel alterius viri docti, & pij planè acquiescere. Neque quod dici solet, in dubiis tutiorem partem eligendam esse, de scrupulis intelligendum est, sed de dubiis propriè dictis.

Nota 3. Confessarium duo posse


præter alia, scrupuloso inculcare, ut
eum à scrupulis liberet: alterum, ut ni-
hil credat esse peccatum mortale, nisi
adeò evidens sit tale peccatum esse, ut
ipse possit id affirmare eum iuramento:
alterum, vel ea ratione deponendos esse
scrupulos, quia cùm quis nouit se scru-
pulosum esse, hinc probabiliter iudicare
potest, dubitationes quibus agitur me-
ros esse scrupulos, adeoque abiicien-
dos, cùm liceat sequi sententiam proba-
bilem. Plura de scrupulis apud Sum-
mistas, & Asceticos videri possunt.



TRACTATUS



TRACTATUS
 DE LEGE
 HUMANORVM
 ACTVVM
 directricè.



CAPVT I.

De ratione vniuersim Legis.

SECTIO I.

Quid sit.

CONCLUSIO I.

LEX est aliquid ad ratio-
 nem spectans.) Ita sanctus
 Thomas 1. 2. questione
 90. articulo 1. quod pro-
 bat 1. quia ad legem
 pertinet imperare, & prohibere, sed im-
 de Angelis. G

perare est rationis, vt docuerat, qu. 17. 1. eò quòd imperans ordinat eum cui imperat, ad aliquid agendum intimando, vel denuntiando: sic autem ordinare, per modum cuiusdam intimationis, est actus rationis, qui tamen præsupponit actum voluntatis, tanquam primi mouentis, in cuius virtute ratio mouet per imperium, quoad exercitium actus.

Probat 2. quia lex est quædam regula & mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur: regula autem & mensura humanorum actuum est ratio, eò quòd ad illam spectat ordinare ad finem, qui est primum principium in agendis.

Notandum tamen, hæc non ita debere intelligi, vt lex secundum suam essentiã, ad solam rationem spectet: videtur enim spectare etiam ad voluntatem, **saltem** si agatur de lege positiva. Cuius **ratio est**, quia non censetur habere rationem legis, respectu alicuius, quod ei ostendit quid agendum, aut non agendum sit, nisi præterea illi obligationem imponat agendi, vel non agendi: quo fit vt nemo peccet, nisi quatenus facit contra legem; non facit autem contra legem, nisi qui non facit, quod tenetur facere; aut qui facit,

quod tenetur non facere: quare illa duo essentialiter spectant ad legem, dirigere, & obligare ad aliquid amplectendum, vel fugiendum. Porro lex non obligat, quatenus consistit in actu intellectus, quo Legislatoꝝ subditis insinuat, seu declarat quid ipsis expediat agere, vel non agere; multa enim nobis eo modo proponuntur, quæ non tenemur sequi: obligat ergo quatenus adiunctum habet actum voluntatis, quo Legislatoꝝ vult id à nobis fieri, vel non fieri; sicque lex essentialiter non modo ad intellectum, sed etiam ad voluntatem spectat.

Dixi saltem si agatur de lege positiva, seu quæ sola Dei, vel hominum voluntate posita est: nam si sermo sit de lege naturali, dicendum est actum voluntatis ad illius essentialem constitutionem non concurrere? cum naturalis dicatur, quia ex rei natura petitur, non autem ex placito seu voluntate alterius. Quod autem talis aliqua lex detur, satis constat ex vulgari illa diuisione, qua dicitur, quædam esse mala, quia prohibita; quædam verò, prohibita, quia ex se mala: hinc enim intelligitur, aliquid esse peccatum, antecedenter ad voluntatem Dei prohibentem adeoque esse legem aliquam independentem ab actu libero volunta-

tatis diuinæ ; cū omne peccatum sit
præuicatio ab aliqua lege.

CONCLUSIO II. De ratione
legis est , vt ordinetur in bonum com-
mune.) Ita S. Thomas quæst. cit. art. 2.
quod probat , quia cū lex sit regula &
mensura , ea maxime respicit ordinem ad
vltimum finem , tanquam ad primum
principium humanorum actuum , cum-
que pars ordinetur ad totum & vnus ho-
mo sit pars communitalis perfectæ , ne-
cesse est quod lex respiciat ordinem ad
fœlicitatem communem.

Idem clariùs ostendi potest , quia ad
solam potestatem publicam spectat con-
dere leges : at potestas publica directè
respicit bonum publicum , cum propter
illud instituta sit. Confirmatur , quia in-
ter causam efficientem seu mouentem , &
finalem debet esse proportio ; atqui le-
ges non condantur nisi ab iis , qui præ-
sunt multitudini , quique sunt superiores
quolibet particulari homine , in ea mul-
titudine contento : quare in bonum com-
mune talis multitudinis eas dirigere de-
bent.

Dices I. Lex naturæ non ordinatur ad
bonum commune , quia etsi nulla esset
respublica , posset subsistere in singulari-
bus hominibus ; imò ea vigeat in primo

parente, quoadiu solus erat. Confir-
 tur, nam quilibet homo, ex lege natu-
 rali, tenetur conseruare propriam vitam:
 hoc autem non respicit bonum commu-
 ne, sed proprium. Respondeo 1. quæ ante
 dicta sunt, debere præsertim intelligi de
 lege positiua. 2. ea etiam, suo modo,
 posse accomodari ad legem naturalem.
 Nam etsi lex naturalis procuret bonum
 particulare, id non impedit quo minùs ea
 ordinetur ad bonum cõmune: quia sicut res-
 publica non coalescit nisi ex particulari-
 bus hominibus, ita bonum commune non
 resultat nisi ex bonis particularium. Cum
 ergo Deus homines creauerit, ad consti-
 tuendam vnã reipublicam, dubium
 non est, quin lex naturæ, ex intentione
 Dei, in bonum ipsorum commune ordi-
 netur; præsertim cùm talis lex omni-
 bus hominibus imposita sit, omnesque
 obliget.

Vnde ad confirmationem dicimus,
 quòd ex lege naturæ, teneatur vnusquis-
 que propriam vitam conseruare, id non
 parum conducere ad bonum commune:
 eò quòd salus reipublicæ à vita particu-
 larium pendet. Præterquam quòd ipsa
 lex naturæ, quæ hominem inclinat ad
 conseruandam sibi vitam, eundem mouet
 ad eam pro patriæ salute, si occasio

150. T R A C T A T V S
tulerit, exponendam.

Dices 2. videmus varias leges cedere in bonum solius Principis, quales sunt de tributis pendendis, & similes: Ergo non est de ratione legis, vt cedat in bonum commune. Confirmatur, nam Reges, & Principes sunt Domini respectu suorum subditorum: at Dominus in serui gubernatione non attendit ad bonum ipsius serui, sed ad suum proprium commodum. Respondeo leges de soluendis vectigalibus, conducere ad bonum commune, quatenus necesse est vt Rex diuitiis abundet, tum ad sustinendam dignitatē regiam, tum ad regnum, cui præest, armis contra hostes defendendum. Ad confirmationem dicimus, Reges habere in suos subditos dominium iurisdictionis, non autem dominium despoticum, adeoque non posse pro arbitrato suo eorum bona usurpare, sed quantum necessitas boni communis postulat. Et sanè ex communi Iuristarum, & Theologorum sensu, illud est discrimen inter Tyrannum, & Regem, quòd ille pro suo nutu subditis imperat, propriumque commodum spectat, iste verò populi sibi commissi utilitatem quærit.

CONCLUSIO III. Non spectat ad quemlibet condere legem, sed tan-

tum ad multitudinem, vel ad eum qui præest multitudini.) Ita S. Doctor supra art. 3. vbi rationem affert, quia lex primò & principaliter ordinatur ad bonum commune, vt dictum est: ordinare autem aliquid in bonum commune est, vel totius multitudinis, vel alicuius generis vicem multitudinis: siquidem ordinare in finem aliquem, est eius, cuius est proprius ille finis: quare condere legem, vel spectat ad multitudinem, vel ad eum qui præest multitudini.

Rectè autem talem potestatem refert S. Thomas tum in multitudinem, id est, in rempublicam perfectam: cum enim talis multitudo superiorem non agnoscat, ipsa potest ex iure naturæ, seipsam gubernare, sibi que leges in commune commodum præscribere: tum in illum qui præest multitudini, seu in Regem, aliumve supremum principem nam respublica suam iurisdictionem, & potestatem condendi leges, in eum transfert, quem communi consensu ad sibi imperandum elegit.

Neque refert 1. quod dicitur 2. Politic. cap. vltimo, eos qui priuatam vitam agunt, leges interdum statuere: ibi enim statuere; latè sumitur pro, de lege statuenda agere, aut consilium dare: vt tamen

lex firmitatem, & vim obligandi habeat, legitimi superioris autoritas, & imperium accedere debet. Vnde leges à Platone conscriptæ, non habent propriè rationem, & vim legum, nisi ab aliqua republica approbatæ, & constitutæ sint.

Neque refert 2. quod non rarò ij qui præsumunt multitudini, careant scientia, & prudentia, ad leges ritè stabiliendas, requisita: hinc enim non sequitur, eos careere potestate necessaria ad leges statuendas, sed tantùm illos non debere tali potestate uti, quin priùs viros prudentes, rerumque gerendarum peritia instructos, ea de re consuluerint.

SECTIO II.

An promulgatio & acceptatio sit necessaria.

CONCLUSIO I.

Romulgatio spectat ad rationem legis.) Ita docet S. Thomas eadem quæst. art. 4. & probat, quia lex aliis imponitur per modum regulæ, & mensuræ: et regula & mensura imponitur per hoc,

quòd in eorum notitiam deducitur, per promulgationem: quare promulgatio necessaria est, vt lex vim obligandi habeat. Confirmatur, quia cùm voluntas non possit ferri in incognitum, sequeretur homines obligari ad impossibile, si tenerentur legem seruare, ante sufficientem illius promulgationem.

Vbi aduertendum est 1. ex probabiliori sententia, promulgationem ipsam esse de essentia legis, quia vt supra diximus, de essentia legis est, vt subditos obliget ad opus aliquod exequendum, vel omitendum; obligare autem nequit, nisi sit promulgata.

Aduertendum 2. quòd sicut præcepta particularia non obligant, nisi priuatim patefiant; ita neque leges, quæ sunt statuta quædam publica, seu ad communitatem spectantia, nisi publicè innotescant. Vnde si quis priuata scientia cognosceret, legem aliquam statutam esse, non teneretur eam obseruare, si nondum esset promulgata.

Aduertendum. 3. vt lex obliget, non requiri quod singulis in particulari fuerit promulgata, aut in notitiam eorum venerit: est enim lex regula quædam publica, & vniuersalis quæ satis est vniuersaliter

omnibus proponi, & per accidēs est, quòd in notitiam singulorum non veniat. Vnde etiam constat, non opus esse, vt legis promulgatio fiat in singulis locis, sed satis esse, si fiat in celebrioribus; cū inde facilè in omnium notitiam venire possit.

Aduertendum 4. legem naturalem promulgari ex S. Thoma art. citato ad 1. ex hoc ipso quòd Deus eam mentibus hominum inseruit, naturaliter cognoscendam. Quod ita potest intelligi, vt in creatione hominis, lex naturalis sit ei promulgata, quoad habitum; quoad actū verò, quando primū vtitur ratione: tunc per naturalem synderesim incipit cognoscere, quid agendum, quid non agendum sit.

Porro ex omnibus huc vsque tractatis, S. Doctor prædicto art. 4. hanc legis definitionem colligit. Lex est orditio rationis, ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata; cuius omnes particulæ, iuxta iam traditas conclusiones, intelligi debent.

CONCLUSIO V. Ad valorem, & obligationem legis canonicæ, aut ciuiliſ, acceptatio populi non est necessaria.) Prior pars probatur, quia cū Pontifex non accipiat à populo potestatem ligandi

di, atque soluendi per leges, sed immediate à Christo, nulla ratio est cur putemus, eum non posse legem aliquam statuere, nisi dependenter à voluntate & approbatione populi. Confirmatur, nam iuridica illa potestas approbandi leges canonicas, non residet in populo ex iure naturæ, aut ex speciali concessione Dei, ut notum est: at neque ex voluntate Pontificis, cum fundamento careat, quod aliqui dicunt, Pontificem non condere legem, nisi sub illa conditione, si populo placuerit. Ergo dicendum est, in Pontifice esse potestatem constituendi leges Ecclesiasticas, antecedenter ad consensum populi: ita ut de facto tales leges obligent, etsi fideles eas non approbent, imò licet iis obedire renuant.


Vnde collige, eum per se loquendo peccare, qui tempore præscripto legem Pontificiam non seruat, eò quòd nondum à populo receptam esse videt. Dico, per se loquendo: nam si, verbi causa, lex statuta sine graui difficultate, obseruari non possit, non erit peccatum, contra illam agere, donec constet eam à Pontifice, talis difficultatis minimè ignaro latâ esse: qui interim cum fundamento præsumi potest, eum non intendisse subditos obligare, cum tanto eorum incommodo.

Dices, nonne non vsus, seu desuetudo vim habet abrogandi legem, etiam canonicam? Ergo vt non teneantur particulares eam obseruare, sufficit quòd recepta non sit. Respondeo non sequi: nam aliud est quòd quo primùm tēpore vult Pontifex, vt lex seruetur, liceat eam non seruare si à populo tunc acceptata non sit: aliud, quòd si lex Pontificia à populo nunquam fuit acceptata, & talis non acceptatio tanto tempore duret, quantum requiritur vt desuetudo legitimè præscripta censeatur tunc fas sit ei non obedire. Quare etsi hoc posterius verum sit, non tamen prius illud verum esse censendum est.

Posterior pars suadetur, quia cùm Princeps habeat potestatem absolutam condendi leges, quo titulo dici potest, leges ab eo decretas non valere, sine consensu populi? Quod enim potestatem illam ab ipso populo acceperit, hoc nihil refert: si quidem non eam accepit cum ea limitatione, vt non posset leges statuere, dissentiente populo, aliàs non ipse esset Princeps supremus, vt supponimus, sed populum secum conregnantem haberet. Cùm ergo potestatem habeat absolutam, potest leges condere, quæ obligationem inducant: siue subditi consentiant, siue non.

Confirmatur, nam experientia constat Imperatores, & Reges etiam pios, & Catholicos pœnarum impositione cogere sibi subditos, ad acceptationem & observantiam legum suarum: quis autem eiusmodi consuetudinem, tanquam malam damnare audeat? At certè esset mala, si legum firmitas & obligatio nulla esset, sine acceptatione & consensu populi: Ut summum enim posset Princeps cogere ad observantiam legum, postquam à subditis acceptatæ essent.

Vnde sequitur eos peccare, qui primi legem à Principe statutam, sine causa legitima, transgrediuntur: quod verum existimo, etiam si Princeps transgressionem sciat; nec puniat: cum enim ad talem cognitionem supponatur transgressio, hæc ab illa honestari non potest. Dico, sine causa legitima: nam si legis latæ observatio sit valde gravis, aut receptæ consuetudini repugnans, prudenter præsumi potest, Principem non intendere, ut eo casu obliget, donec mentem suam apertius declaret, ut ante dictum est.



CAPVT III.

De lege aeterna, & naturali.

CONCLUSIO I.

LEX aeterna ponenda est in Deo.)
 Probat, quia vt ait S. Thomas 1. 2. quæst. 91. art. 1. lex nihil est aliud quàm, dictamen practicæ rationis in Principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam: at tota communitas vniuersi gubernatur ratione diuina, vt satis patet ex tractatu de Deo: ergo ratio illa gubernationis rerum habet rationem legis, idque ab aeterno, cum nihil concipiat ex tempore, sed aeternum omnium conceptum habeat.

Quod si obiicias 1. omnem legem aliquibus imponi; non fuisse autem ab aeterno, quibus lex posset imponi. 2. promulgationem spectare ad rationem legis, eam autem non potuisse fieri ab aeterno. Ad hæc ita respondet S. Doctor loco citato, ad 1. quidem, aeternum diuinæ mentis conceptum habere rationem legis aeternæ, secundum quod à Deo ordinatur.

ad gubernationem rerum ab ipso præcognitarum. At 2. verò, promulgationem fieri verbo, & scripto; & utroque modo legem æternam fuisse promulgatam, ex parte Dei, quia & Verbum diuinum est æternum, & scriptura libri vitæ est æterna,

Verùm ista non carent difficultate, quia vt patet ex Capitis præcedentis Cõclusionẽ. 4. promulgatio requisita, ex mente S. Thomæ, ad rationem legis, non tantum se tenet ex parte Legislatoris, sed etiam ex parte subditorum; quatenus lex est regula, & mensura quæ ipsis applicari debet per promulgationem, vt per eam regulentur, & dirigantur in finem intentum. Quare dicendum videtur, legem æternam non habere propriam rationem legis, prout de lege hic agimus.

Non tamen erit inutile, quæ habet S. Thomas 1. 2. quæst. 93. per totam breuiter hic colligere 1. in eo distinguit legem æternam, ab idea, quòd ratio diuinæ sapientiæ, in quantum per ea cuncta sint creata, habet rationem artis, vel exemplaris, seu ideæ; quatenus verò mouet omnia ad debitum finem, obtinet rationem legis. 2. nullum, præter Deum, & beatos, posse cognoscere legem æternam,

ut est in seipsa ; omnes tamen creaturas
 racionales posse eam cognoscere, secun-
 dum aliquam eius irradiationem, seu
 participationem maiorem, vel minorem,
 quatenus omnes veritatem aliquatenus
 cognoscant, saltem quantum ad princi-
 pia communia legis naturalis. 3. omnes
 leges, in quantum participant de ratione
 recta, deriuari à lege æterna; siquidem in
 omnibus mouëtibus ordinatis, virtus secun-
 di mouentis deriuatur à primo mouente:
 quare cùm lex æterna sit ratio gubernationis
 in supremo gubernante, necesse est quòd
 omnes rationes gubernationis, quæ sunt
 in inferioribus gubernantibus, à lege æ-
 terna deriuentur. 4. cùm lex æterna sit ra-
 tio gubernationis, quæcunque diuinæ
 gubernationi subduntur, nimirum omnia
 creata, legi æternæ etiam subdi; quæ ve-
 rò diuinæ gubernationi subiecta non sunt,
 qualia sunt quæ pertinent ad naturam
 diuinam, æternæ legi non subiici, sed esse
 realiter ipsam legem æternam. 5. illud
 esse discrimen inter bonos, & malos,,
 quò boni perfectè subsunt legi æte-
 næ tanquam semper secundum eam agentes:
 mali autem imperfectè quidem, ex par-
 te actionis quatenus imperfectam habent
 cognitionem boni, & inclinationem ad

illud:at perfectè,ex parte passionis, quatenus scilicet patiuntur, quantum lege diuina præscriptum est.

CONCLUSIO II. Lex aliqua naturalis ponenda est in nobis.] Probatur ex S. Thoma 1. 2. quæst. 91. art. 2. quia cum omnia creata à lege æterna regulentur, & mensurentur ex dictis, manifestum est, quòd omnia participant aliquam legem æternam, in quantum scilicet habent inclinationes in proprios actus, & fines. Illud autem est peculiare in rationali creatura, quòd ipsa ita subiacet diuinæ prouidentia, vt sibi, & aliis prouidere possit: quare participatio legis æternæ in ea lex naturalis appellatur.

Hoc autem non habet locum in brutis, aliisque ratione carentibus. quia cum lex sit opus rationis, ea propriè irrationalibus locum habere non potest. Neque dicitur lex naturalis in homine, quòd per eam homo, quodam naturæ impetu feratur, vt bruta: sed quia per lumen naturale ipsius menti impressum, mouetur ad honestè agendum.

Vt autem, quæ fusè de hac lege tradit S. Thomas quæst. 93. paucis comprehendam. Observandum 1. legem naturalem non esse propriè habitum, sed potius actum. Primum patet, quia lex na-

rualis ab homine amoueri omnino non potest : at nullus est habitus propriè dictus, siue sit acquisitus, siue infusus, qui à subiecto, saltem diuinitus, separari non possit. Secundum sequitur **ex primo**, ac præterea ostenditur, tum **quia lex naturalis nihil aliud esse videtur**, quàm iudicium illud, seu dictamen rectæ rationis, quo quis iudicat, bonum esse prosequendum, & malum fugiendum; tum quia proprium legis est regulare, dirigere, & imperare: illa autem & similia sunt actus. Non negarim tamen, legem naturalem aliquo modo se habere instar habitus, quatenus de agendis semper iudicare potest, etiam de iis non semper actu iudicet.

Observandum 2. eam proportionem seruandam esse inter intellectum speculatiuum, & practicum, quòd sicut in illo ponimus intelligentiam, quæ aliud nihil est quàm habitus, quo primis & per se notis propositionibus speculatiuis assentimur: ita in isto ponimus synderesim, quæ aliud nihil est quàm habitus, quo primis principis practicis assensum præbemus.

Observandum 3. præcepta legis naturæ esse plura, cum ita se habeant in homine respectu operabilium, sicut in re-

bus demonstrabilibus se habent prima principia, quæ plura esse constat. Vnde quemadmodum in speculabilibus, assignatur primum aliquod principium, à quo cætera pendent, nimirum illud. Impossibile est de eodem idem affirmari, & negari: ita in practicis, ex illo primo principio, bonum est amplectendum, & malum repudiandum, in aliorum principiorum practicorum notitiam deueniri potest. Cum eo tamen discrimine, quòd aliqua longè faciliùs ex illo primo principio deducantur, quàm alia.

Observandum 4. legem naturalem esse eandem apud omnes, quoad sua principia communissima, cum hæc omnibus sint per se nota: at verò quoad particularia iura, quæ ex communibus illis principiis, tanquam conclusiones, deducuntur, ut plurimum esse eandem apud omnes, non tamen semper, propter varietatem circumstantiarum. Vnde etsi ex illo principio generali, quod tibi fieri non vis alteri non feceris, communiter sequatur, gladium reddendum esse Domino petenti, non tamen, si contingat, Dominum eo velle se, vel alium occidere. Cæterum quia eò minùs conclusio euidēs est, quo magis distat à primis principiis.

hinc facile colligi potest, multa præcepta naturalia à simplicioribus posse inculpabiliter ignorari.

CONCLUSIO III. Lex naturæ mutari potest per additionem, non tamen per subtractionem; ita ut quod iam est de lege naturæ, de ea postea desinat esse.) Hanc tradit S. Thomas quæstionis citatæ art. 5. & priorem partem probat, quia legi naturæ multa superaddita sunt præcepta legis diuinæ, & humanæ. Posterioverò, quia lex naturæ, quoad sua prima principia, est penitus immutabilis: quoad secundaria autem non mutatur, nisi interdum in casibus particularibus de quibus ante.

Verùm si exactè loqui velimus, in eiusmodi casibus, non tam mutatio, fit in ipsa lege, quàm in materia legis: quæ enim lex naturalis dicitur, gladium depositum, per se loquendo, reddendum esse, eadem prohibet ne reddatur domino furioso: & quoad hoc, mutatio non potest cadere in legem naturalem, ita ut aliquando sicutum sit, gladium furioso restituere.

Dices, lex naturalis in multis videtur immutata, siquidem libertas de iure naturæ, & tamen iure gentium seruitus introducta est. Est etiam præceptum legis

naturæ, vt bona domino suo restituantur: ar lege humana statutum est, vt qui bona fide, certo tempore aliena possedit, ad restitutionem non teneatur. Item matrimonium clandestinum iure naturæ validum est. fuit tamen auctoritate Concilij Trident. irritatum. Respondeo, prædicta non esse de iure naturali præceptiuo, sed concessiuo dumtaxat, adeoque posse in iis contingere mutationem, ob circumstantias occurrentes. Id est, ius quidem naturale permittit, vn homines sint liberi, vt bona sint communia, vt matrimonium clandestinum valeat: non tamen præcipit, vt hæc ita se habeant, adeoque non prohibet, quin oppositum statui possit. Quemadmodum etsi dici aliqua ratione possit, esse ex iure naturæ, quod homo nudus sit; non tamen dici potest, eo iure prohiberi, ne vtatur vestibus.

CONCLUSIO IV Non potest Deus propriè, & directè dispensare in lege naturæ, id est facere vt persona aliqua non teneatur seruare legem naturalem, sub iisdem illis circumstantiis, sub quibus eam seruandi obligatio incumberebat. At Deus nequit eo modo legis naturalis obligationem tollere, ita scilicet vt verbi causa, alicui licitum sit, propria auctoritate, hostem occidere; bona aliena,

domino inuito, surripere, & retinere: ista enim & similia sunt ex se, & intrinsecè contra rectam rationem, adeóque nisi aliqua mutatio in iis contingat, non possunt fieri honesta & licita.

Dices 1. nonne Deus dispensauit cum Abrahamo, quoad præceptum non occidendi; cum Osea, quoad præceptum non fornicandi, & cum Israëlitis, quoad præceptum non furandi? Respondeo negatiuè, nam præceptum naturale est, non occidendi propria auctoritate; non accedendi ad eam, quæ non est propria vxoris & non surripiendi bona aliena, inuito Domino. Deus autem in iis non dispensauit, quia Abraham non propria, sed Dei iubentis auctoritate voluit occidere filium; Oseas contraxit matrimonium cum fornicaria, antequam ad eam accederet; & Israëlites ex donatione Dei, supremi rerum omnium Domini, habuerunt ius in bona, quibus Ægyptios spoliauerunt. Non ergo hæc est propria, & directa dispensatio in lege naturæ, sed appositio alicuius circumstantiæ, qua posita, ipsa naturalis obligatio cessat.


Dices 2. Summus Pontifex sæpe dispensat in voto, in iuramento, aliisque non paucis, quæ tamen lex ipsa naturæ

seruanda esse docet. Ergo cum dici non possit, tales dispensationes esse inualidas, inde à fortiori concludendum est, Deum habere potestatem dispensandi in lege naturæ. Resp. 1. votum iuramentū, & similia nō esse ius naturale, fundatum in sola natura rationali, sed in libertate humana; quia ex lege naturæ non tenemur uovere, aut iurare: ex hypothese tamen quòd uouimus, aut iurauimus, tenemur ex iure ipso naturæ, votum, & iuramentum seruare. Respondeo 2. neque in his Pontificem dispensare propriè, & directè, non enim facit, ut liceat homini non implere promissionem Deo factam, & non relaxatam; sed autoritate Dei promissionem relaxat, quo ipso obligatio eam seruandi per se corruit.

Ex his autem quæ hastenus tradita sunt, intelligi potest, quid dicendum sit ad difficultatem illam, quam S. Doctor proponit quæstionis citatæ art. 6. an scilicet possit lex naturæ à corde hominis aboleri. Respondendum quippe est cum distinctione, nam si agatur de principis communibus legis naturæ, ea ut sic non potest deleri de cordibus hominum: quicumque enim ratione utitur, cognoscit in genere bonum esse amplectendum, & malum fugiendum: si verò

quæstio sit de conclusionibus deductis ex
primariis principiis, quæque sunt præcep-
ta particularia, lex naturalis, quoad
hæc, deleri potest, vel propter ignoran-
tiam, vel propter prauas consuetudines,
& habitus corruptos. Itaque cor huma-
num, in quo lex naturalis scripta est, se
habet interdum instar carthæ, in qua ma-
iores characteres adhuc apparent, mino-
res verò planè delati sunt. Cæterum
quia conscientia magnam cum antedictis
affinitatem habet, non erit abs re de ea
hîc agere: præsertim cum voluntas te-
neatur ei se conformare, tanquam suæ
regulæ.

CAPVT



CAPVT IV.

De lege diuina, veteri, & noua.

CONCLVSIO I.

Necessarium fuit ad directionem naturæ humanæ, habere legem diuinam, præter naturalem, & humanam. Ita S. Thomas 1. 2. quæst. 91. art. c. 4. quod probat, tum quia cum homo creatus sit, ut aliquando supernaturali beatitudine fruatur, debuit ad hunc finem dirigi, media aliqua lege supernaturali & diuina: tum quia non potest homo semper, quoad singularia & contingentia sine errore dirigi, nisi per legem diuinam, erroris incapacem, sciat quid agendum, quid cauendum sit: tum quia cum lex humana nequeat hominem regulare, quoad actus internos, danda erat lex diuina, quæ non tantum exterius, sed etiam interius eum rectè ordinaret: tum denique quia lex humana non potest omnia peccata prohibere, aut punire, sicut diuina.

de Angelis.

H

Notandum autem ex articulo 1. legem diuinam esse duplicem, nempe veterem, & nouam, easque inter se non distingui specie, sed tanquam perfectum, & imperfectum in eadem specie, vt patet ex Paulo qui ad Galat. 3. comparat legem veterem, puero existenti sub prædago: nouam verò, viro perfecto. Quod etiam ex eo colligitur, quia lex vetus ad bona sensibilia, & terrena proximè ordinabat; noua ad intelligibilia, & cœlestia dirigit; illa actus tantum externos regulabat, hæc etiam internos, & ideò dicitur quòd lex vetus cohibet manum, lex noua animum. Tandem prior ad obseruantiam præceptorum, timore pœnarum inducebat, posterior autem amore, per gratiam Christi, in cordibus nostris diffuso.

CONCLUSIO II. Lex vetus erat bona.) Hoc probat S. Doctor 1. 2. quæst. 89. art. 1. tum ex verbis illis Pauli ad Rom. 7. Lex quidem sancta est, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. Tum quia lex illa est bona, quæ consonat rectæ rationi: at lex vetus rationi consonabat, quia concupiscentiam reprimebat, quæ rationi aduersatur, & peccata prohibebat, quæ sunt contra rectam rationem.

Nota autem, illud esse discrimen inter

legem humanam, & diuinam, quòd humana finem suum, qui est temporalis tràquilitas ciuitatis, assequi potest, cohibendo nimirum actus externos, qui statũ pacificum ciuitatis perturbare possunt: diuina verò non potest, nisi à gratia adiuuetur, hominem perducere ad fœlicitatem æternam, quæ est illius finis. Quare cum lex vetus gratiam non conferret, inde colligit, eam non fuisse perfectam, etsi bona esset.

Dices, Exechielis 20. ait Deus se dedisse Iudæis legem non bonam Paulus verò frequenter in legem veterem insurgit, & speciatim in epist. ad Rom. cap. 4. & sequentibus, cum ait, legem iram operari, eam subintrasse vt abundaret delictum: peccatum sine lege mortuũ esse, &c. Tandem quomodo bona est lex, quæ permittit vsuram, & libellum repadij? Respondeo ad 1. præcepta dici non bona, vel quia gratiam non conferebat, per quam fieret bonum, vt intelligit S. Thomas post Augustinum, vel quia lex antiqua si conferatur cum noua, quæ multò melior est, videtur mala: sicut è contra quæ mala sunt videntur bona, si cum peioribus conferantur: vel melius, vt ibi non agatur de lege veteri, sed de præceptis iniquis, quæ Deus permisit Iudæis

imponi, in poenam præcedentium peccatorum.

Ad 2. omnia verba Pauli, quæ duriora videntur, piam expositionem sumere ex cap. 7. epistolæ ad Rom. vbi ait, Lex peccatum est? absit, &c. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiã: id est, occasione non quidem data à lege, sed accepta ex mea infirmitate, factum est vt in varias concupiscentias exarserim, donec per spiritum gratiæ, inordinatum hoc desiderium fuerit mitigatum.

Ad 3. dicendum vel vsuram, & libellum repudiij non fuisse licita, & à Deo approbata, sed tantum permittæ, seu tolerata, vt quidam putant: vel si fuerunt Iudæis licita, vt alij existimant, ea non fuisse mala; quia potuit Deus dissoluere primum matrimonium, quo ipso licebat Iudæis cum secunda contrahere. Potuit etiam Deus dare Iudæis, quod à Gentilibus supra sortem accipiebant, sicut illis dedit spolia Ægyptiorum: quare acceptio talis pecuniæ non erat illicita.

CONCLUSIO III. Lex vetus data est à Deo, per Angelos, idque soli populo Iudæorum.) Quod sit à Deo data, satis patet, tum ex capite 20. Exodi, & sequentibus, & ex illo Matth. 15. Irri-

tum fecistis mandatum Dei, propter traditiones vestras; & ex verbis illis Rom. x. Segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos, in Scripturis sanctis, de filio suo. Tum quia in Concilio Trident. sess. 14. statuitur, vnum Deum esse authorem noui, & veteris testamenti. Tum quia vt ait S. Thomas quæst. citatæ art. 2. Lex vetus ordinabat homines ad Christum dupliciter, primò testimonium Christo perhibendo, secundò per modum cuiusdam dispositionis, quatenus homines ab idololatria retrahens, concludebat eos sub cultu vnius Dei, à quo saluandi erant per Christum. Manifestum est autem quòd eiusdem est disponere ad finem, & ad finem perducere; quare ab eodẽ Deo bono data est lex, à quo per gratiam Christi, salus hominum facta est. Vnde refellitur impiissimus error Manichæorum, qui fingebant duos esse Deos, alterum bonum, alterum malum; & priorem volebant esse authorem noui testamenti, posteriorem antiqui.

Quòd verò lex antiqua data sit per Angelos, probatur ex art. 3. quia cum lex illa esset imperfecta, & disponderet ad perfectam, cõgruum fuit, vt quemadmodum in artibus, primarius artifex perfe-

ctum actum per seipsum operatur : quæ verò disponunt ad perfectionem vltimã, per suos ministros exequitur: ita lex antiqua daretur per Angelos, qui sunt ministri Dei ; noua verò per ipsum Deum hominem factum. Ex quo intelligis, non mirum esse quòd Angelus dixerit, Ego sum Deus Abraham, cum in persona Dei loqueretur ; quemadmodum Sacerdos dicit, Hoc est corpus meum, quia loquitur in persona Christi.

Tandem quòd lex vetus solis Iudæis data fuerit, probatur ex art. 4. quia cum Christus ex illis esset nasciturus, æquum erat vt Deus legem, aliaque specialia beneficia iis concederet, vt ita specialiter Deo consecrarentur, & ab aliis populis distinguerentur. Vnde est illud Psalmi 147. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Et illud Rom. 3. Quid ergo amplius Iudæo est? multum per omnem modum, primum quidem quia credita sunt eis eloquia Dei.

Nota 1. ex S. Doctore ibidem, promissionem Abraham factam, quòd Christus ex illius stirpe nasciturus esset, non fuisse ex meritis ipsius Abraham, sed ex gratuita Dei electione & vocatione, vt colligitur ex verbis illis Isa. 41. Qui

suscitavit ab oriente iustum, vocavit eum ut sequeretur se. Verùm ista intelligenda sunt de merito proprio, & condigno: quòd enim sancti Patres meruerint de congruo Incarnationem, disertè tradit S. Thomas 3. parte quæst. 2. art. 11. Vnde à fortiori colligitur, eos potuisse mereri de congruo, ut Christus ex iis nasceretur.

Nota 2. ex articulo 5. legem veterem non obligasse nisi Iudæos, quia quæ statuuntur ad specialem aliquorum sanctificationem, non obligant nisi illos; sicut laici non obligantur, ad ea quæ sunt clericorum. Quare cum lex vetus data sit Iudæis, ut specialiter sanctificarentur, & dicarentur cultui Dei, ex antedictis, non nisi qui erant ex gente Iudæorum, tenebantur ad illius observantiam. Quòd intellige quoad præcepta, quæ erant propria illius legis: nam si sermo sit de præceptis moralibus, quæ per eam manifestabantur, non modo Iudæi, sed etiã Gentiles ea observare tenebantur; cum ad legem naturæ spectent.

CONCLUSIO IV. Lex nova non distinguitur à veteri quoad finem, sed quoad modum ducendi in finem.) Probatur ex S. Thoma 1. 2. quæst. 107. art. 1. quia lex vetus, & nova tendunt ad

eandem finem, ut scilicet homines sub-
dantur Deo; illa fuit quasi pædagogus
puerorum, hæc verò est quasi lex perfe-
ctorum: quia est lex charitatis, quæ di-
citur vinculum perfectionis.

Notandum autem imprimis ex res-
ponfione ad 2. omnes differentias quæ
affignantur inter nouam, & antiquam le-
gem, sumi secundum rationem perfecti,
& imperfecti: præcepta enim legis, cu-
iufibet dantur de actibus virtutum, ad
quos aliter inclinantur imperfecti, aliter
perfecti, illi cum careant virtutis habi-
tu, inclinantur ad virtutis opera ab ex-
trinseco, puta ex comminatione pœnarum,
aut ex promissione præmiorum: hi verò,
cum virtute præditi sint, inclinantur ad
opera bona, ex amore virtutis. Unde lex
antiqua dicitur lex timoris, noua autem
lex amoris. Caterum hæc distinctio re-
ferenda est ad statum vtriusque legis,
non ad singulas personas; siquidem non
pauci erant in lege antiqua, qui duce-
bantur amore, & vice versa plurimi sunt
in noua, qui terroribus ad bona opera
adiguntur.

Notandum præterea ex art. 2. legem
veterem per nouam fuisse completam,
tam quoad finem, quàm quoad præcep-
ta. Quoad finem quidem, qui erat homi-

num iustificatio: hæc enim non per legem antiquam, sed virtute nouæ peracta est. Quoad præcepta verò, quia Christus non tantum ea opere compleuit, sed etiã sua doctrina tripliciter perfecit, I. verum legis intellectum exprimendo, vt patet in homicidio, & adulterio 2. ordinando quomodo tutius obseruaretur, quod lex vetus statuerat, vt constat de non iurando 3. præceptis supperaddendo quædam perfectionis consilia.


Notandum rursus ex art. 3. Legem nouã virtualiter contineri in veteri, quatenus clarè & explicitè traduntur in noua, quæ in antiqua obscurè & implicitè continebantur. Hoc patet in præceptis: nam mystetia nostræ fidei, quæ tenemur credere, valde obscurè tradebantur ante aduentum Christi: præcepta verò moralia peccatis hominum non parum obscurata erant; & Sacramenta nouæ legis, quorum vsus est sub præcepto, non aliter erant apud antiquos, quàm secundum aliquam significationem & figuram. Ex quo patet, modum quo lex noua continetur in veteri, non repugnare antedictis, de impefectione antiquæ legis, respectu nouæ: hæc enim in ea continetur, sicut arbor in semine, aut sicut species in genere, & vno verbo sicut perfectum &

completum, in imperfecto & inchoato.

Notandum postremò ex art. 4. legem veterem esse multò grauiorem noua, si attendatur ad opera externa, quæ præcepta erant quia ob ingentem multitudinem cæremoniarum, multò plura opera tunc erant sub præcepto, quàm nunc sint; si autem ratio habeatur interiorum virtutum actuum, quatenus fiunt promptè, & delectabiliter, quoad hoc legem nouam esse grauiorem veteri; quia in noua prohibentur interiores motus animi, qui expressè in veteri non prohibebantur in omnibus.

Verum etsi posterior hæc pars rectè concludat, si tantum ipsa nouæ legis præcepta quoad se ponderentur, vt sunt scripta; non tamen si considerentur, vt sunt coniuncta cum fide, & gratia noui testamenti: sic enim absolutè dici potest, legem nouam esse suauiore[m] veteri, iuxta illud Christi Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, &c. iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Quare dicendum est, Doctorem Angelicum in priori sensu loquutum, vt etiam ex eo suaderi potest, quia ille 1. 2. quæst. 106. art. 1. docet, id quod præcipuum est in lege noua, esse gratiã Spiritus sancti in cordibus scriptam:

DE LEGE. CAP. V. 179
quod vero secundarium est in ea, esse
scripta, seu ea quæ traduntur nobis vt
credenda, vel agenda.



CAPVT V.

De præceptis utriusque legis.

CONCLUSIO I.

IN veteri lege erant præcepta mora-
lia, & cæremonialia, & iudicialia.)
Prima pars probatur à S. Thoma 1. 2.
quæst. 99. art. 2. quia sicut lex humana
tendit ad constituendam amicitiam inter
homines, ita intentio legis diuinæ est,
constituere amicitiam inter Deum &
homines: cùmque similitudo sit causa
amoris, debent homines esse boni, vt a-
micitiam incant cum Deo, qui optimus
est: quare oportuit in veteri lege, dari
præcepta de actibus virtutum moralium,
per quos homines fiant boni.

Secunda pars ostenditur ex art. 3. nam
lex diuina principaliter instituta est, ad
ordinandum homines in Deum; homi-
nes autem ordinantur in Deum non tan-
tum per interiores actus mentis, qui

H 6

sunt credere, sperare, & amare, sed etiam per exteriora quædam opera, quibus homo diuinam seruitutem profiterur. Quare congruum fuit vt darentur præcepta, non tantùm de actibus internis, sed etiam de operationibus seu cæremonis externis, quibus Deus colendus esset. Vnde quamuis colere Deum, vt est actus virtutis, pertineat ad præceptum morale: quod tamen Deus colatur talibus hostiis, aut talibus muneribus, hoc spectat ad præcepta cæremonialia.

Tertia pars suadetur ex art. 4. nam ad legem diuinam pertinet, homines ordinare ad Deum, & inter se: cùmque lex naturæ vtrumque præstet in communi, oportet vt vtrumque determinetur per legem diuinam, vel humanam. Sicut igitur determinatio communis præcepti, de cultu diuino, fit per præcepta cæremonialia: ita determinatio præcepti communis, de iustitia obseruanda inter homines, determinatur per præcepta iudicialia.

CONCLUSIO II. Præcepta omnia moralia pertinent aliquo modo ad legem naturæ, & reducuntur ad præcepta decalogi, quæ convenienter numerari, & ordinari solent. Prima pars probatur ex S. Thom. 1. 2. quæst. 100. art. 1. quia si

cut omne iudicium rationis speculatiuæ procedit à naturali cognitione primorū principiorum; ita etiam omne iudicium rationis practicæ, quæ est regula humanorum actuum, procedit ex quibusdam principiis naturaliter cognitis, sed diuersimodè. Nam quædam sunt in humanis actibus adeo explicita, quod statim cum modica cōsideratione possunt approbari, vel reprobari per illa communia & prima principia: vt non esse occidendum, non furandum, &c. & hæc sunt absolute de lege naturæ. Quædam verò sunt, ad quorum iudicium requiritur multa cōsideratio diuersarum circumstantiarum, quas cōsiderare diligenter non est, nisi sapientum, quale est illud: Coram capite consurge, &c. & hæc ita sunt de lege naturæ, vt tamen indigeant disciplina, qua minores à sapientibus instruatur, Quædam tandem sunt, ad quæ diiudicanda indiget homo instructione diuina, sicut est illud: Non facies tibi sculptrile. &c.

Secunda pars suadetur ex art. 3. nam illa præcepta ad Decalogum pertinent, quorum noticiam habet homo per seipsum à Deo, cuiusmodi sunt illa quæ statim ex primis principiis cōmūnibus aut ex fide diuinitus infusa innotescūt. Vnde

inter præcepta Decalogi, nec computantur præcepta communia & per se nota, nec ea quæ non nisi per disciplinam sapientum proueniunt à Deo ad populum. Vtraque tamen quodammodo continentur in præceptis Decalogi; priora quidè, sicut principia in conclusionibus proximis; posteriora vero, sicut conclusiones in principiis.

Tertia pars ostenditur ex art. 5. nam præcepta legis diuinæ ordinant homines ad quandam communitatem hominum sub Deo: vt autem homo rectè se habeat in tali communitate, debet benè se habere ad Deum, qui illi præest, & ad consocios suos; Deo debet fidelitatem, reuerentiam, & gratitudinem, vnde data sunt tria prima præcepta, Ad alios se habet vel specialiter, vt teneretur iis reddere debitum, pro quo est quartum præceptum, de honorandis parentibus: vel generaliter, vt nulli inferat nocumentum, siue opere, per homicidium, adulterium, furtum; siue ore, per falsum testimoniũ; siue corde, per concupiscentiam.

Quarta pars ex præcedenti colligitur, nam in primis grauiora sunt peccata contra Deum, quàm contra homines. Deinde grauius est offendere patètes, quàm alios. Rursus grauius est opere offendere quàm

ore, & ore, quàm corde: ac tandem inter peccata operis, grauius est homicidium, quàm adulterium; & adulterium, quàm furtum, vt habes articulo 6.

CONCLUSIO III. Cæremonia antiquæ legis conuenienter diuiduntur in sacrificia, sacramenta, sacra, & obseruantias.) Probatum ex r. 2. quæst. 101. art. 4. nam cæremonialia præcepta ordinantur ad cultum Dei, in quo possunt cõsiderari 1. ipse cultus, qui specialiter cõsistit in sacrificiis. 2. instrumenta colendi, vt tabernaculum, vasa, & alia huiusmodi quæ pertinent ad sacra 3. institutio ad cultum diuinum, quod fit per quandam consecrationem, ad quam pertinent sacramenta. 4. cultorum singularis conuersatio, per quam distinguuntur ab aliis & ad hoc pertinent obseruantia, puta in cibis, & vestimentis, &c.

Est autem hîc obseruandum, circa eiusmodi cæremonias 1. sacrificia antiquæ legis habuisse duplicem causam valde congruam, alteram literalem, alteram figuralem, vt latè declaratur quæst. 102. art. 3. Literalis erat, tum vt homo rem aliquam offerendo, & consumendo in honoré Dei, ea oblatione profiteretur deum esse authorem vitæ & mortis, principium & finem rerum omnium: tum vt Iudæi

paulatim retraherentur ab idololatria, sacrificia vero Deo, non idolis offerendo. Figuralis verò, vt per animalium sacrificia repræsentaretur sacrificiũ crucis; quo ipse Christus seipsum deo obtulit, in odorem suauitatis.

Obseruandum 2. ex art. 4. duabus etiã de causis debuiffe institui sacra aliqua in veteri lege, nempe specialia templa & vasa, speciale tabernaculum, &c. Imprimis vt per hoc animi hominum ad maiorem Dei reuerentiam adducerentur; habet enim hoc humanus affectus, vt quæ communia sunt minùs reuerentur, quàm quæ habent aliquam excellentiæ discretionem ab alijs. Deinde vt cum lex vetus esset instituta ad repræsentandum mysterium Christi, per aliquas obseruantias speciales & determinatas, talis repræsentatio commodè fieri posset.

Obseruandum 3. ex art. 5. Sacramenta legis antiquæ habuisse item duplicem causam; literalem, & figuratiuam, verbi causa, ratio literalis Circumcisionis, eaque præcipua fuit, ad protestationem fidei vnus Dei: figuratiua verò, vt repræsentaretur circumcisio spiritalis facienda per Christum, seu ablatio corruptionis culpæ, & pœnæ in nos per carnalem originem desuuentis. Literalis ratio agni

Paschalis erat, ut fieret commemoratio beneficij; quo Deus Iudæos eduxerat de Ægypto: figuralis autem, ut per illius immolationem significaretur futura immolatio Christi. Et ita de aliis.

Observandum 4. ex art. 6. easdem rationes habuisse locum in observantiis legalibus, quia sicut aliæ res deputatæ ad diuinum cultum, aliquam specialitatem habere debent, ob maiorem earum reuerentiam: ita in cõuersatione illius populi, & præcipuè sacerdotum, debuerunt esse aliqua specialia, congruentia ad cultum diuinum. Et quia cultus legis figurabat mysterium Christi, debebant etiam illius obseruantia figurare aliquid, circa Christianorum vitam. Vnde quorundam animalium vsus in lege fuit prohibitus, literaliter quidem, vel quia immunditiam aliquam generant, vel ut Iudæi detestarentur morem Ægyptiorum, aliorumque Gentilium qui eiusmodi animalia idolis immolabant: figuraliter verò, ut intelligerent fugienda esse peccata, quæ per animalia illa prohibita repræsentabatur. Similiter prohibitum fuit Iudæis, ne induerentur vestibus lana, & lino cõtextis, tum quia Gentes eiusmodi vestimentis, in cultu Deorum suorum utebantur: tum ut indicaretur, lanam simplicitatis & in-

nocentiæ non debere coniungi, cum lino subtilitatis & malitiæ.

CONCLUSIO IV. Præcepta iudicialia in quatuor membra conueniēter diuidi possunt.) Probat, nam vt ait S. Thomas 1.2. quæst. 104. art. 4. cum per præcepta iudicialia homines ad inuicem ordinentur eorum distinctio sumi potest secundum distinctionem ordinationis humanæ. Quadruplex autem ordo in aliquo populo inueniri potest, vnus quidem, Principum populi ad subditos: qua ratione dantur præcepta de institutione Principum, & de reuerentia iis exhibenda: alius autem subditorum ad inuicem, cui respondent præcepta circa emptiones, venditiones, &c. tertius populi ad extraneos, quomodo extant præcepta de bellis contra hostes, de susceptione peregrinorum: quartus denique spectat ad domesticos, ad quos præcepta de seruis, vxoribus, & filiis diriguntur. Porro S. Doctor, quæst. 105. latè tractat de præceptis illis iudicialibus in speciali, variasque eorum conuenientias, ad intelligentiam scripturæ non parum necessarias, appositissimè tradit.

Quomodo autem præcepta iudicialia à moralibus, & cæremonialibus distinguantur, paucis accipe ex S. Doctore

Quæst. illa 104. tribus primis articulis.
 In primis hæc præcepta non inferuntur
 ex principiis naturæ, tanquam eorum
 conclusiones, & ea ex parte differunt à
 moralibus, & conueniunt cum cæremoni-
 alibus. Quia vero ordinantur ad con-
 uictum hominum inter se inuicem, in
 hoc distinguuntur à cæremonialibus,
 quæ ad cultum Dei pertinent. Rursus
 præcepta cæremonialia primo instituta
 erant, vt essent vmbra & figura futuro-
 rum, maximè Christi omnis sanctitatis
 authoris: iudicialia autem ad iustitiam,
 & pacem inter ciues constituendam præ-
 cipuè ordinata erant, non ad futurorum
 repræsentationem, Vnde cum præcepta
 cæremonialia nullatenus iam seruare li-
 ceat, quia indicarent Christum nondum
 aduenisse: possunt tamen iudicialia ite-
 rum institui, vt patet ex decimis, quæ
 auctoritate Ecclesiæ, in lege noua sunt
 præceptæ. Quia tamen lex Mosaïca pe-
 nitus extincta est quoad cæremonialia,
 & iudicialia, hæc nullo modo obligant,
 quatenus in ea lege continentur. Vnde
 Christus morte sua nos liberauit à iugo
 legis antiquæ, quantum ad eiusmodi
 præcepta, licet non quantum ad mora-
 lia, quia hæc etiam sunt de lege na-
 turæ.

CONCLUSIO V. In lege noua quæ-
 dā opera externa præcipiuntur, alia pro-
 hibētur fuit etiā homo sufficiēter per eā
 ordinatus quoad actus interiores.) Prior
 pars ita explicatur, iuxta mentē S. Tho-
 1. 2. quæst. 108. art. 1. Cū lex noua con-
 sistat præsertim in gratia, hæcque per
 Christū hominem nobis detur, congruū
 est vt per aliqua exteriora sensibilia, gra-
 tia à Verbo Incarnato profuens, in nos
 deriuetur, & ex gratia interiori, per quā
 caro spiritui subditur, exteriora quædam
 opera sensibilia producantur. Vnde exte-
 riora opera dupliciter ad gratiam perti-
 nere possunt, vno modo sicut inducentia
 ad gratiam, vt sunt opera sacramentorū,
 & hæc sunt in præcepto. Alio modo tan-
 quam ex instinctu gratiæ producta, sed
 cum discrimine, nā quædam habent ne-
 cessariam conuenientiam, vel contrarie-
 tatem ad gratiam, quæ in fide per dile-
 ctionem operante consistit; & hæc sunt
 præcepta, vt fidei confessio, vel prohibita,
 vt illius negatio. Alia verò non habent
 talem cōuenientiam, vel contrarietatem,
 & ea non sunt præcepta, aut prohibita ex
 primaria legis institutione, quale est co-
 medere hos, vel illos cibos, sed relinqui-
 tur superioribus, vt statuunt quid circa
 hæc à subditis fieri, aut non fieri velint.

Et quantum ad hæc, lex Euangelica dicitur lex libertatis, ut distinguatur à veteri, quæ multa determinabat, & pauca relinquebat hominum libertati determinanda.

Ex his autem colligi potest, legem nouam, sufficienter ordinasse exteriores actus, ut habetur art. 2. Cum enim sit lex gratiæ, in exterioribus, ea debuit solum præcipere, per quæ in gratiam introducimur, vel quæ ad rectum usum gratiæ necessaria sunt; quare nulla alia opera externa determinare debuit, quàm sacramenta, & præcepta moralia, quæ de se pertinent ad rationem virtutis; ut non esse occidendum, furandum, & similia.

Neque dicas, ad legem nouam præcipuè pertinere fidem per dilectionem operantem, atque adeò sicut in lege nouæ explicitè sunt quædam credenda, quæ in veteri lege non nisi implicitè credebantur; ita debuisse in ea dari præcepta, de operibus quibusdam externis moralibus, antea non determinatis. Non enim est par ratio, quia ut notat S. Doctor in responsione ad 1. cum ad ea quæ sunt fidei, peruenire nequeamus nisi per gratiam, congruè erat ut abundantiori gratia adueniente, credenda explicatiùs tradarentur: sed ad opera virtutum dirigimur

per rationem naturalem, quare in his nō oportuit dari, nisi præcepta legis moralis, quæ sunt de dictamine rationis.

Verùm vt hæc omnia clariora euadant, nota ex communi Theologorum sententiâ, in lege noua esse præcepta triplicis generis, nempe præcepta moralia, præcepta fidei, & præcepta sacramentorum. Inter quæ illud est discrimen, quòd præcepta moralia, cùm sint de lege naturæ, non sunt à Christo instituta, sed tantùm explicata, & ab erroribus, quibus ex malitia hominum obuoluta fuerant, vindicata. Præcepta verò fidei non sunt etiam de nouo instituta, cùm antiqui nō saluarentur, nisi per fidem in Christum, sed tantùm clariùs explicata; ita vt explicitè teneamur credere fidei mysteria, quæ in lege veteri solum implicitè credebantur. At præcepta spectantia ad usum Sacramentorum, sunt ex noua ordinatione; cùm abrogatis veteribus sacramentis, Christus ipse noua instituerit.

Posterior pars qua diximus, legem nouam sufficienter hominem ordinasse, quoad interiores actus, patet ex sermone Domini in mōte, in quo tota informatio vitæ Christianæ continetur, ex artic.

3. Ac primùm, hominẽ ordinavit quoad seipsum, idque secundum duos illius interiores motus, qui sunt voluntas de agendis, & intentio de fine. Et quidem quantum ad voluntatem agendi, ordinavit hominis voluntatem, præcipiendo vt abstineat non tantum ab operibus malis exterioribus, sed etiam ab interioribus, & ab occasionibus malorum. Quoad intentionem verò, monendo vt in bonis quæ agimus, humanam gloriam, aut diuitias mundanas non quæramus. Secundò ordinavit quoad proximum. prohibendo ne eam temerè aut iniustè iudicemus. Ultimò docuit modum adimplendi Evangelicam doctrinam, scilicet implorando diuinum auxilium, mandata seruando, & ad perfectam virtutem contendendo.

CONCLUSIO VI. Modus virtutis aliquo sensu cadit sub præceptum, alio non.) Declaratur ex S. Doctore 1. 2. quæstione 100. art. 9. & 10 In primis modus aliquis virtutis, vt scilicet fiat scienter, & liberè, cadit sub præceptum. Ratio est, quia præceptum imponitur hominibus, vt hominibus, seu quatenus agunt ex ratione, & voluntate libera. Quare ille præcepto non satisfacit, qui ignoranter facit opus, quod præceptum est. Hoc au-

rem intellige de præcepto positivo, negatiuum enim obseruatur, quatenus non sit quod prohibitum est.

Secundò, vt quis præceptum positiuum impleat, non requiritur intentio satisfaciendi præcepto, sed sufficit si opus fiat scienter, & ex libertate. Quia præcipitur solum, vt tale opus hic, & nunc fiat: quare nil refert, quòd homo habeat, aut non habeat actualem intentionem satisfaciendi, dummodo ponat actum substantialem, qui præceptus est.

Tertiò, modus virtutis qui est, vt fiat firmiter & immobiliter, non cadit sub præceptum. Neque enim ab homine, vel à Deo punitur vt transgressor præcepti, qui debitum parentibus honorem impedit, quamuis non habeat habitum pietatis. Cõfirmatur, nam actus præcepti exercentur, vt per eos perueniatur ad perfectionem habitus.


Quartò, potest satisfieri præcepto, per opus malum ex circumstantia, dummodo sit bonum ex obiecto. Præcepta enim sunt de actibus secundum speciem bonis, quare censentur obseruari, quando eiusmodi actus fiunt, etsi secundum aliquam circumstantiam inficiantur quoad indiuiduum, si verbi causa, fiant ex vana gloria; quia licet Legislator intendat, vt
actus

actus præcepti benè fiant, illius tamen intentio, quoad hoc non obligat, nisi in præcepto expressum sit.

Quintò, modus charitatis est in præcepto, quando diuina lex præcepit actum dilectionis: siquidem modus charitatis est, vt Deus diligatur ex toto corde, & super omnia: talis autem modus est de præcepto dilectionis Dei, vt dicitur lib. 3. vbi explicandum erit, quid sit diligere Deum super omnia, & quo tempore tale præceptum obliget.

Sextò denique modus charitatis non cadit sub aliis præceptis: nam verbi causa, præceptum de honorandis parentibus dicit tantùm, vt parentibus honor exhibeatur, non autem vt id fiat ex charitate. Idem dic de præceptis audiendi Missam, ieiunandi, dandi eleemosynam & similibus: ea enim obseruantur, dummodo ipsi actus reales præcepti executioni mandentur, est, in finem dilectionis Dei, ex intentione operantis non referantur.

de Angelis. I



CAPVT VI.

De lege humana secundum se.

CONCLUSIO I.

VTile fuit aliquas leges ab hominibus constitui.) Quia vt tradit Angelicus Doctor .1. 2. quæst. 95. art. 1. quamuis homo habeat naturalem inclinationem ad virtutem, virtutis tamé perfectionem assequi non potest, nisi media aliqua disciplina, quam à se sufficienter habere nequit; eo quod virtutis perfectio in eo sita est, vt homines ab indebitis retrahat delectationibus, ad quas valde proni sunt. Quare necessaria fuit legum disciplina, quæ metu pœnæ homines proteruos à vitiis retraheret, & ad virtutem induceret.

Nota 1, ex quæst. 91. art. 3. quòd sicut in ratione speculatiua, ex principiis indemonstrabilibus naturaliter cognitis, eruuntur conclusiones diuersarum scientiarum, quarû cognitio non est nobis naturaliter indita, sed per industriã rationis inuenta: ita etiam ex præcep-

eis legis naturalis, quasi ex quibusdam principiis communibus, & indemonstrabilibus, ratio humana procedit ad aliqua magis particulariter disponenda; & istæ particulares dispositiones, secundum humanam rationem adinuentæ, dicuntur leges.

Nota 2. ex quæst. 95. art. 2. duobus modis posse aliquid deriuari à principiis communibus legis naturæ; primò per modum conclusionis, secundo per modum determinationis; priori modo ex principio illo communi, nulli est malum faciendum. deducitur tanquam conclusio, neminem esse occidendum. Posteriori verò, quòd aliquis tali pœna afficiatur, est quædam determinatio legis naturæ, qua docetur, peccantem puniendum esse. Verùm circa hæc duplex occurrit difficultas breuiter explicanda. Altera, an sit in hominibus potestas aliqua condendi leges: altera, an lex humana possit aliquid præcipere, quod à lege naturali non deriuetur.

CONCLUSIO II. In hominibus est vera aliqua potestas condendi leges.] Probat; nam in primis quòd talis potestas sit in Ecclesia, patet tum ex illo Matt. 16. Quodcumque ligueris super terram, erit ligatum in Cœlis, &c. quod

intelligi solet, non solum de potestate absoluendi à peccatis in Sacramento Pœnitentiæ, sed etiam de potestate puniendi, & excommunicandi, vt ex capite 18. apertè colligitur. Tum ex verbis illis Actor 15. Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, &c. Hinc enim constat, Apostolos legem aliquam fidelibus imposuisse, quam obseruare tenebantur, aliàs non diceretur onus, nec inter necessaria deberet numerari. Tum denique ex Conciliis Constantiensi sess. 8. contra Vvicleffum, & Ioannem Hus, & Tridentino sess. 7. can. 8. contra Lutheranos, & Calvinistas.

Deinde, quod sit etiam similis potestas in Principibus secularibus, apertè sumitur ex Paulo Roman. 13. cum ait, omnem animam potestatibus sublimioribus subdi debere, eum qui potestati resistit, Dei ordinationi resistere, & sibi damnationem acquirere: necessitate obienduna esse, non tantum propter iram, sed propter conscientiam vt scilicet vitetur peccatum inobedientiæ, quo conscientia macularetur.

Ratione idem ostenditur: nam ideo Deus superiores præfecit hominibus, siue in spiritualibus, siue in ciuilibus, vt eos

regant & gubernent, in ordine ad finem proportionatum. Ad hoc autem duo necessaria sunt, alterum, ut qui præsumt aliis, habeant potestatem ea statuendi, quæ in ordine ad finem intentum magis conducere videntur: alterum, ut subditi superiorum legibus teneantur obedire. Confirmatur, nam nisi essent leges humanæ, quibus aliqua præciperentur, alia prohiberentur, magna esset rerum confusio, tam in Religione Christiana, quam in Republica civili: quare vel ex ea ratione sufficienter constat, potestatem leges condendi esse penes eos qui aliis præsumunt, siue in Ecclesiasticis, siue in civilibus.

Dices, ex his colligi quidem, esse potestatem in Ecclesia, & Republica aliquid præcipiendi, non tamen leges condendi: est enim illud discrimen inter præceptum, & legem, quòd præceptum expirat post mortem præcipientis: at lex durat, nisi à successore reuocetur. Licet autem quis possit primum, non sequitur quòd possit secundum. Verum utrumque sequitur: nam cum potestas leges condendi sit in Ecclesia à Christo, qui nunquam moritur, mirum non est, quod leges auctoritate illius latæ vim habeant, etiam post mortem Pontificis: leges etiam ciui-

les durant post mortem Principum, quia potestas eas condendi est à Republica, quæ non moritur cum suo Principe.

Cæterùm ad conuellenda hæreticorum fundamenta. Nota 1. quando Deus prohibet Deuter. 4. & 12. ne quid addatur ad verba & præcepta eius, id debere intelligi de additione, quæ repugnaret ipsi præceptis diuinis, aut dictum tantum esse pro Iudæis 2. Augustinum epist. 119. cap. 19. non damnare leges Pontificum, aut principum Christianorum, sed prauas quorundam locorum consuetudines, quæ statutis Ecclesiæ repugnabant. 3. Christianam libertatem noui testamenti non consistere in liberatione à præceptis humanis, sed in libertate à iugo peccati, & præceptorum cæremonialium legis antiquæ. 4. etsi peccatum sit contra legem Dei, hinc malè colligi, non peccari contra legem humanam: cum de lege Dei sit, ut legi humanæ obediamus.

CONCLUSIO III. Leges humanæ possunt multa præcipere, aut vetare, quæ lege naturali, aut diuina non sunt præcepta, aut prohibita. Probatur ex dictis, nam ostensum est in Ecclesia, & Republica esse veram potestatem condendi leges, & obligandi ad eorum obseruatio-

nem: at non esset talis potestas, si non liceret præcipere, aut prohibere nisi quod iam aliunde præceptum aut prohibitum est: hoc enim non tam esset legem aliquam de nouo statuere, quàm legem naturalem, aut diuinam interpretari.

Sed contra hoc oritur difficultas ex Conclusionem 1. vbi diximus, omnes leges humanas à naturali lege deriuari, hinc enim videtur colligi, nihil præcipi, aut prohiberi posse lege humana, nisi quod iam lege naturali præceptum, aut prohibitum est. Verùm id non benè colligitur generatim de omni lege humana, sed tantum de ea quæ ex principiis communibus deducitur per modum conclusionis, quomodo diximus deriuari præceptum non occidendi: talis enim lex cum sit de materia naturali, illud tantum prohibet, quod lege ipsa naturæ prohibitum erat. Aliter tamen dicendum est de lege humana, quæ deriuatur à naturali, per modum determinationis dumtaxat, ea enim est merè positiua, pendens ex libera Principis voluntate: quare ab ea tantum habet vim obligandi, non autem à iure naturali.

Neque dicas, nihil posse ab homine statui, nisi quod est consentaneum rationi, & legi naturali, aliud enim est agere

de honestate legis humanæ, aliud de obligatione illius. Quare etsi concedamus, quicquid ab hominibus præcipitur, debere esse honestum secundum rationem naturalem: negamus tamen illud debere ita esse honestum, ut etiam ex ipsa naturæ lege obliget sub peccato, antequam lege positiva præceptum sit.

CONCLUSIO IV. Variæ sunt legis humanæ diuisiones, ex quæst. 95. art. 4.) In primis quia est de ratione legis humanæ, quod à lege naturæ deriuatur, secundum hoc ius posituum diuiditur in ius gentium, & ius ciuile: ita ut ad ius gentium spectent quæ deriuantur ex principiis naturæ, sicut conclusiones ex principiis: ad ius autem ciuile, quæ deriuantur per modum particularis determinationis.

Secundò, cum sit de ratione legis humanæ, ut ordinetur ad bonum commune ciuitatis, hinc lex humana diuidi potest, secundum diuersitatem eorum qui specialiter laborant pro bono communi, adeò ut alia sit sacerdotum, alia principum, alia militum.

Tertiò distinguuntur leges humanæ, iuxta diuersa regimina. Vnde secundum Regium principatum sumuntur constitutiones Principum: secundum Aristocratiam,

responsa prudentum, & Senatus consulta: secundum Oligarchiam, ius prætorium, seu honorarium; secundum Democratiam, plebiscita.

Quartò, quia lex est directiua humanorum actuum, hinc leges diuiduntur secundum materiam quam tractant, vnde est lex Iulia, de adulteriis: lex Cornelia, de sicariis, & similes.

Circa primam diuisionem difficultas est, quid intersit inter ius naturale, & ius gentium. Respondent aliqui, inter ea illud esse discrimen, quòd ius naturale commune est omnibus animalibus, ius autem gentium solis hominibus competit. Sed hoc statim refellitur, quia sequeretur præcepta Decalogi non esse de iure naturæ, sed de iure gentium, quod à communi sensu abhorret; cùm natura ipsa satis doceat, Deum esse colendum, non esse furandum, &c. valdèque absurdum sit existimare, hæc & similia præcepta iure gentium introducta esse.

Alii putant, ius naturale esse illud, quod ex principiis naturalibus absoluta necessitate deducitur, & ius gentiũ, quod ex iisdem colligitur, non quidem absolute, sed ex hypothese quòd homines civilem societatem inter se constituent. Hoc etiam refellitur, quia cùm quædam

præcepta Decalogi conueniant hominibus, vt in societate spectatis, verbi causa, iustitia in contractibus, & obedientia erga maiores, consequens esset ea non esse de iure naturæ, sed de iure gentium.

Alij aliter sentiunt. Verùm dicendum videtur, ius gentium esse veluti mediũ inter naturale, & ciuile; ita vt ius naturale illud dicatur, quòd vniciquẽ insitum est à natura; ius ciuile, quòd à Principe, aut Republica in bonum suorum subditorum constitutum est: ius vero gentium, quod consètaneè ad regulas rectæ rationis, communi omnium ferè gentium vsu & consuetudine introductum est. Quomodo diuisiones agrorum, bella, seruitutes, & similia ad eius gentium pertinere dicuntur.

CONCLUSIO V. Lex humana non prohibet omnia vitia, nec præcipit omnes actus virtutum.) Ratio primæ partis traditur à S. Thoma 1. 2. quæst. 96. art. 2. quia lex debet esse possibilis, & secundum naturam, & secundum consuetudinem patriæ: ita scilicet vt non imperetur aliquid vires naturæ superans, aut receptæ consuetudini repugnans. At non esset his modis possibilis, si omnia vitia prohlberet, cum maior pars hominum careat virtutis habitu, à quo pote-

potestas cauendi peccata omnia procedat. Quare non omnia vitia lege humana prohibentur, sed tantum grauiora, à quibus maior pars hominum abstinere potest, & præcipuè quæ sunt in nocumentum aliorum: sine quorum prohibitione societas humana stare nequit; qualia sunt furta, homicidia, & alia huiusmodi.

Dices lex diuina peccata omnia prohibet: quare non & humana? Respondeo causam discriminis esse, quia lex diuina dirigit ad finem vitæ æternæ cui peccata omnia repugnant, humana verò tendit ad pacem & tranquillitatem fidelium; quare sufficit quòd ea peccata prohibeat, quæ tali fini aduersantur.

Ratio secundæ partis affertur art. 3. quia cum lex ad bonum cõmune ordinetur, sicut ea non debet prohibere omnia vitia, ita nec præcipere omnes virtutum actus, sed eos tantum qui ad bonum commune ordinem habent, vel immediatè, sicut cum aliqua directè propter bonum commune fiunt, vel mediatè, vt cum aliqua ordinantur à Legislatore, pertinètia ad bonam disciplinam, per quam ciues informantur, vt commune bonum iustitiæ, & pacis conseruent. Potest hoc confirmari ex dictis: nam lex humana ni-

mi iſſet grauis , & obſeruatu impoſſibi-
lis , ſpectato ſtatu hominum , ſi omnes
virtutum actus caderent ſub precep-
tum.

CONCLUSIO VI. Lex huma-
na non poteſt directe præcipere actum
internum, poteſt tamen indirectè, quando
actus internus neceſſarius eſt ad exter-
num, qui præcipitur.) Prior pars ſatis
perſpicua eſt in lege ciuili, cùm tranquil-
litas externa Reipublicæ, quam proximè
reſpicit, ab actibus tantùm exterioribus
pendeat.

Eadem etiam oſtenditur in lege Eccle-
ſiaſtica, quia vt ait S. Doctor 1. 2.
quæſt. 91. art. 4. non poteſt homo legem
ſtatuerè, niſi de iis de quibus poteſt iu-
dicare: at non poteſt iudicare de motibus
interioribus qui latent, ſed tantùm de
exterioribus qui apparent. Hinc eſt vul-
gatum illud, Eccleſia non iudicat de oc-
cultis, quod ſaltem ita debet intelligi vt
directè, & per ſe circa actus merè inter-
nos non verſetur, eos præcipiendo aut
prohibendo.


Dices nonne Sacerdos in Sacramento
Pœnitentiæ, abſoluit à peccatis merè in-
ternis, & pro iis imponit ſatisfactionem?
Reſpondeo, hoc certum eſſe: at cùm id fiat
ex conſenſu pœnitentis, & in bonum

speciale illius, inde non sequitur, posse Ecclesiam legem aliquam statuere, circa actus merè internos, quæ tendat ad bonum commune fidelium, vt constituunt societatem visibilem, quæque vim habeat obligandi, non requisito eorum consensu. Præsertim quia confessio est de iure diuino, non autem ex institutione Ecclesiæ.

Posterior pars facilè ostenditur, nam cum actus externus non possit ab homine poni, sine actu interno, ex hypothesi quòd lex humana præcipit actum externum, censetur etiam præcipere internum, ad positionem externi necessarium, verbi causa, eò ipso quòd lex civilis præcipit, vt in tali casu ciues arma sumant, ea censetur præcipere, vt ciues tunc velint arma sumere. Et cum Ecclesia iubet, vt clerici officium recitent, consequenter præcipit, vt velint illud recitare: leges enim præcipiunt actum externum humanum, & liberum, qualis esse nequit, nisi ab interno voluntatis actu oriatur.

Quæres, an lex humana præcipiendo actum externum, censetur præcipere internum, qui etsi non sit necessarius, vt externus existat in esse physico, est tamen necessarius, vt in esse morali constitutur. Responsio communis est affirmatiua,

quia lex humana præcipit actus externos, quatenus spectant vel ad politicam gubernationem, vel ad religiosum cultum Deo debitum: ad hæc autem requiritur actus internus; quare etiam ille censetur præceptus. Hinc ad civiles contractus requiritur intentio contrahendi, & voluntas se obligandi, si hæc ad eorum valorem necessaria est. Et qui recitat horas canonicas, tenetur cum interna attentione & deuotione eas recitare, vt latius dicetur cum de horis canonicis.



CAPVT VII.

De obligatione legis humanae.

CONCLUSIO I.

LEX humana potest obligare in conscientia, ita vt contra illam agentes peccent, etiam mortaliter. Hoc sufficienter viderur probatum capite præcedenti conclusione 2. quare hîc solùm nonnulla obseruanda occurrunt. i. vim obligandi in conscientia, debere extendi ad omnem legem propriè dictam: dicitur

enim lex à ligando, quia procedit ab habente potestatem ligandi, seu obligandi, ad illius obseruantiam: Vnde fit vt ij quibus imposta est, teneantur eam seruare sub peccato.

Et hoc potest confirmari ex discrimine quod reperitur inter consilium, & legem: consilium enim non imponit obligationem agendi, vel non agendi: at lex, sicut & præceptum, eam imponit. Vnde qui agit contra consilium, non peccat, qui verò agit contra legem, peccare censetur.

Notandum tamen 2. duobus modis posse legem obligare in conscientia, nempe vel ad actum immediatè præceptum, vel ad subeundam pœnam, quæ pro transgressione actus præcepti imponitur; qua posteriori ratione, leges quæ pœnales dici solent, interdum obligant, vt infra explicabitur. Vnde etsi regulæ, & constitutiones Regularium non obligantes ad culpam, vel ad pœnam, propriè leges non sint, sed tantum ordinationes quædam, quibus ostenditur quid agendum, vel non agendum sit; quæ tamen altero ex his modis obligant, inter leges merito numerari debent.

Notandum 3. non esse excipiendas à prædicta regula, leges vetantes venatio-

nem, aut piscationem, aut gestationem quarundam vestium, vel armorum: si enim leges sunt, debent ligare, & obligare sub peccato siue mortali, siue veniali, iuxta inferius dicenda. Aut si Superior declaret, se non habere intentionem obligandi, iam leges esse desinunt.

Notandum 4. concessionibus quibus permittuntur aliqua bona, aut mala, non esse proprie leges; cum ad malum, aut bonum permissum non obligent. Leges tamen dici posse, quatenus prohibitum est aliis, ne eos turbent, qui eiusmodi permissionibus uti volunt.

Notandum 5. dici non posse, legem saltem tunc non obligare, quando Legislator non vult obligationem imponere: repugnat enim quod præceptum imponatur alicui, à suo legitimo Superiore, & quod ille non teneatur obedire; cum obedientia Superioribus debita sit de iure naturæ, supposito quod præceptum legitime imponant. Concedimus tamen superiorem posse efficere, ut lex ab eo statuta non obliget sub peccato mortali, sed tantum sub veniali, etiam si sit de materia graui, ut postea ostendemus.

CONCLUSIO II. Tunc lex non obligat, quando fundatur in falsa præ-

sumptione facti alicuius particularis.) Ratio est quia ablato fundamento, quod ei superstructum est statim per se corrui, & cessante fine legis, ipsa lex cessare censetur. Vnde si non debes Titio, quod per falsos testes conuinceris ei debere, non teneris soluere; & si ad solutionem compelleris, potes compensatione uti, si summam aliam rem traditam recuperare nequis. Et similiter, si quis conscius impedimenti dirimentis, censuris compellatur ad reddendum vxori debitum, ille non tenetur, imò non potest reddere.

Nec refert, quòd Iudex legitimè sententiam proferat, iuxta allegata & probata: cum enim à parte rei decipiatur, non tenetur Titius in foro conscientiae stare illius sententiæ, & dare alteri tanquam debitum, quòd suum non est. Præsertim quia Iudex non intendit obligationem imponere, quando præsumptio cum veritate non cohæret. Et quamuis accipiens non debitum peccet, non propterea cooperor illius peccato, sicut neque peccato vsurarij, soluendo vsuras, quæ illi non debentur: periculum enim incurrendi graue aliquod incommodum, in quo versarer, nisi obedirem sententiæ, sufficit vt licitè eam exequi possim.

Quæres, an lex obliget, quando fundatur in præsumptione periculi, seu potentia quæ plerumque ad actum reducitur, etsi factum in particulari cesset. Respondeo affirmatiuè, quia quòd non adsit periculum, in casu aliquo particulari: hoc est per accidens; cum generatim, & vt plurimum in similibus casibus periculum esse soleat. Quare cum lex statuatur, ad tale periculum cauendum, sequitur eam obligare in singulis casibus. Vnde etsi Ecclesia non præsumat fraudem, quoties matrimonium sine Parocho, & testibus celebratur, quia tamen in matrimoniis sic contractis, non ratò fraus intercedit, ideò lex irritans matrimonia clandestina, extenditur etiam ad matrimonium clam sine fraude contractum, quod proinde nullius est valoris.

CONCLUSIO III. Lex obligat ad culpam, mortalem, quando concipitur verbis præceptiuis, qualia sunt illa præcipio, iubeo, impero, &c. non autem si verbis feratur indifferentibus, cuiusmodi sunt illa volumus, decernimus, ordinamus, &c.) Prior pars probatur, quia cum lex grauius possit obligare, ex communi sententia, ea non immeritò videtur tunc habere talem vim, quando fertur verbis præceptiuis; cum præcep-

DE LEGE CAP. VII. 211

tam ex natura sua grauem obligationem inducat, saltem si versetur in materia graui, & legislator non declaret, se non habere animum obligandi sub mortali.

Et quamuis hæc pars certior sit, quando lex nullam pœnam ad unctam habet, videtur tamen extendenda etiam ad legē præceptiuam, quæ pœnas decernit pro transgressoribus; cùm obligatio ad culpam non tollatur per obligationem ad pœnam, imò sapienter imponatur pœna, vt saltem timore illius caueatur peccatum, quod in præcepti violatione committeretur. Vnde clerici pensionarij peccant, nisi quod die recitent Officium Beatæ Virginis, simulque obligantur ad restitutionem fructuum.

Posterior pars ostenditur, quia cùm fauores sint ampliandi, & odia restringenda, non debemus grauem obligationem agendi subditis imponere, quando lex fertur verbis indifferentibus, seu quæ non satis indicant legislatorem habere intentionem obligandi: nisi ex vsu, aut graui aliqua circumstantia constet, legem illâ obligare sub mortali, vt si viri docti, & prudentes cõmuniter ita seriãnt.

An autem ex grauitate pœnæ corporalis, per legem impositæ, sufficienter deduci possit grauitas obligationis, non

ita certum videtur : nam etsi authores communiter affirmant , oppositum tamen non caret probabilitate ; quia contingere potest , ut culpa coram Deo levis , aut nulla sit , & coram hominibus valde grauis , quæ proinde grauem pœnam mereatur , ut contingit verbi causa , si tempore obsidionis custodes murorum dormiant , & propterea à morte puniantur , vel ad triremes damnentur . Non tamè dubito , quin ille peccet mortaliter contra legem naturæ , qui imprudenter , & siue graui causa exponit se periculo talem pœnam subeundi .

Nota , antedicta procedere de lege ; cui grauis aliqua pœna temporalis adiuncta est . Dubium est autem , quid sentiendum sit , quando violanti legem imponitur grauis aliqua pœna spiritualis , qualis est verbi causa ; excommunicatio maior . Respondetur esse signū sufficiens obligationis sub mortali , quādo eiusmodi pœna eo ipso incurritur , ut omnes tradunt , vbi de censuris , & à fortiori patet ex dictis ; secus si censura non sit ipso iure lata , sed tantum præmissa aliqua monitione ferenda : cum enim tunc censura non feratur , nisi contumacia superueniente , ex ea non potest sufficienter

colligi actum præteritum per se spectatum fuisse mortalem.

CONCLUSIO IV. Non potest legislator, in materia leui, grauem obligationem imponere: potest tamen in materia graui, obligare tantum sub veniali.) Prior pars ostenditur, quia legislator non habet potestatem condendi leges iniquas & iniustas, qualis ea esset; quæ in re leuioris momenti, ad culpam mortalem, adeoque ad pœnas æternas obligaret. Confirmatur, quia vt lex humana recta sit, debet quantum fieri potest, diuinæ conformari: at hæc in materia leui non obligat, nisi ad culpam venialem, vt patet in mendacio iocoso, in furto vnus oboli, &c.

Neque obstat, quòd in Religionibus prohiberi soleant sub grauibus pœnis, res minimi momenti, quæ enim secundum se videntur leuia, talia non sunt spectato communi, ad quod valde conducunt, verbi causa, quòd nemo tali tempore, aut loco loquatur, & ita de aliis.

Posterior pars ea ratione suadetur, quia si lex non obligat, etiam in materia graui, quando legislator vult vt non obliget, eò quòd obligatio pendet ex il-

lius voluntate, vt fert communis sententia, quid obstabit quo minus possit lex, in eadem materia obligare tantum sub veniali? Qui enim totam obligationem à lege tollere potest, potest & maiorem partem, relicta minori. Confirmatur, nam ieiunare, vel audire sacrum singulis diebus, est res grauis, & tamen negari nequit, quin possit superior ad hoc obligare subditos, sub culpa tantum veniali. Quemadmodum ex multorum sententia, votum emittens in re graui, potest ad culpam venialem se obligare.

Dices 1. verum quidem est legem non obligare, imò non esse legem propriè loquendo, ex supradictis, nisi velit superior vt obliget: at posito quod hoc velit, non pendet ab illo quòd multum, aut parum obliget, sed hoc peti debet à grauitate, vel leuitate rei quæ præcipitur, aut prohibetur. Sed contra, nam non obstante rei grauitate, potest superior omnem obligationem à lege auferre, ergo & eandem ad culpam venialem limitare poterit.

Dices 2. tenerur pœnitens sub mortali, implere grauem satisfactionem, pro graui peccato impositam, etsi Confessorius noliteum obligare nisi sub veniali. Ergo, &c. Respondeo negando con-

sequentiam, & ratio discriminis est, quia poenitens obligatur ad implendam satisfactionem, non tantum ex præcepto Confessarij, sed etiam ex præcepto diuino, quo iubemur suscipiendo sacramenta, quæcunque ad eorum essentiam, vel integritatem spectant, apponere.

CONCLUSIO V. Lex humana interdum potest obligare cum periculo vitæ.] Ratio est, quia bonum commune præferendum est bono particulari: quare cum legislator ad bonum commune attendat, potest leges imponere obligantes ad actum, cui periculum vitæ adiunctum est, verbi causa, ad bellandum quando commune bonum reipublicæ id exigat. Vnde fit vt, per se loquendo, ille grauiter peccet, qui renuit obedire superiori, tale quid iusta ex causa præcipienti, etsi multi sint alij, qui idem præstare possent. Quia alioqui possent omnes ob rationis paritatem, excusari ab executione præcepti, quòd haud dubiè in maximum reipublicæ damnum vergeret.

Dixi, interdum, nam vt plurimum lex humana non obligat, cum vitæ periculo: cum enim talis obligatio valdè ardua sit, & de re moraliter impossibili, ab hominibus imponi non potest, sine

gravi causa, quæ tunc tantum censetur habere locum, quando legis observatio magis conducit ad bonum commune, quam conservatio propriæ vitæ: aut vice versa, quando legis violatio plus nocet bono communi, quam propriæ vitæ amissio.


Vnde addo, etsi lex humana obliget sub peccato mortali, ad sui observationem, ex eo capite sufficienter non argui eam obligare, etiam cum vitæ periculo, ut vel inde patet; quia sunt quædam præcepta legis naturalis, & diuinæ per se obligantia ad mortale, quæ tamen non obligant, cum periculo vitæ, qualia sunt præcepta soluendi debitum, & confitendi integrè: ac probabile non est, quòd omnia præcepta humana magis obligent, quam aliqua præcepta naturalia, & diuina. Hinc, etsi fideles teneantur ex lege humana ieiunare, & audire Missam sub peccato mortali, hæc tamen & similia non obligant, per se loquendo, cum gravi incommodo, nedum cum periculo vitæ, ut fert communis sententia. Dico, per se loquendo: nam si quis ex contemptu fidei, aut Ecclesiæ, fidelem compelleret ad violationem ieiunij, teneretur ille potius mortem subire, quam ieiunium frangere.

Quæ

Quæri hic potest, an consuetudo non comedendi carnes, iam diu apud Carthusianos vigens adeoque habens vim legis, obliget etiam cum mortis periculo. Respondeo adhibita distinctione: nam si contingeret Carthusianum carere omni alio cibo, teneretur ille, sub peccato mortali, carnibus vesci, ne repugnaret præcepto naturali, de conseruanda propria vita: si autem alij suppetant cibi, nõ tenetur carnibus vti, etsi in graui ægitudine sit constitutus. Si quidem præceptum naturale tuendi propriam vitam, non ita obligat, vt teneamur sub graui peccato assumere, quodcunque medium ad eam conseruandam conducens; aliàs peccatum esset mortale, assistere peste laborantibus, cum probabili vitæ periculo, aut in bello exponere se mortis discrimini, pro obtinenda victoria. Cum ergo præceptum naturale in his casibus non obliget, poterit Carthusianus ex causa honesta, nimirum vt disciplina religiosa omnino intacta seruetur, esum carniũ negligere, etiam cum vitæ discrimine.

Addo probabilius esse, Carthusianum in eo casu non posse carnibus vti. Ratio est, quia cum Carthusianorum religio magno consensu approbet consuetudine illam, non vtendi carnibus, etiam in ex-
de Ang. K

rema necessitate; eaque vitæ asperitas ad bonum commune sanctissimi huius instituti, non parum conducatur, hinc planè consequens videtur, eiusmodi consuetudinem grauitè obligare, quoriescunque sine peccato obseruari potest. Quare cum possit sine peccato obseruari ab eo, qui ob ægritudinem versatur in mortis discrimine, vt ante dictum est, nihil impedit quin in eo statu positus eam teneatur obseruare.



CAPVT VIII

De iis qui legibus humanis obligantur.

CONCLUSIO I.

Legiflator non obligatur suis legibus (obligatione coactiua, sed directiua.) Prior pars probatur ex S. Thoma 1. 2. quæst. 96. art. 5. ad 3. quia nullus propriè cogitur à seipso, lex autem non habet vim coactiuam, nisi ex Principis potestate. Quare eo sensu Princeps dicitur esse solutus à lege, quia nullus potest iudicium condemnationis in ipsum ferre, si contra legem agat.

DE LEGE. CAP. VIII. 219

Dices, eo ipso quòd quis legem transgreditur, meretur pœnam ei adiunctam, adeoque Princeps, si legem à se statutam transgreditur, debet subire pœnam quam ipsemet imposuit. Respõdeo 1. legislatorẽ non esse propriè transgressorem suæ legis, vt iam dicitur adeoque ex eo capite non mereri pœnam ea lege impositam. 2. cum tantum mereri pœnam lege statutã, qui tanquam inferior legi obtemperare tenetur, eamque violat.

Posterior pars est etiam S. Doctoris loco citato, vbi eam probat ex cap. Cùm omnes, de constitutionibus, verbis illis, Quod quisque iuris in alterum statuit, ipse eodem iure vti debet, & sapientis dicit autoritas, Patere legem, quam ipse tuleris. Probat etiam quia quando leges sunt ita vniuersales, vt & superioribus, & subditis possint accommedari, magna esset indecẽtia, si Princeps nollet eas seruare, & interim subditos ad earum obseruantiam obligaret; cum ex ipso iure naturæ, caput se membris conformare debeat, & homines efficaciter moueri non soleant, ad sectandam virtutem, eorum præceptis, quorum facta vitiis inquinata perspiciunt. Secus res habet, quando lex non est accommodata statui Principis, vt cum prohibetur ne quis pre-

tiolis vestibus utatur: tunc enim non est ratio cur Princeps eiusmodi legem observare teneatur.

Ex his autem collige, obligationem qua tenetur Princeps suam legem servare, non esse petendam ab ipsius lege: si enim par in parem non habet imperium, multo minus idem sibi ipsi imperare potest, cum imperium non sit sine subiectione, adeoque sine personarum distinctione. Ea igitur obligatio oritur ex iure ipso naturæ, ut ante dictum est, quò fit ut legislator suam legem non servans, non tam contra illam peccet, quam contra legem ipsam naturæ, quæ dictat, eum debere se membris suis conformare.

Ex quo etiam sequitur, etsi res præcepta sit in se gravis, legislatorem non peccare mortaliter, contra legem suam agendo, nisi deformitas quæ ex tali violatione oritur inter caput, & membra reipublicæ adeò gravis sit, ut spectato iure naturæ, ad mortale peccatum pertingat, vel graue aliquod scandalum, aliudve incommodum magni momenti pariat.

CONCLUSIO II. Infideles nò baptizati, & pueri ante usum rationis non obligantur legibus Ecclesiasticis.)
Prior pars probatur: nam non tenentur

legibus Ecclesiasticis, nisi qui sunt subditi Ecclesiæ, at infideles non sunt subditi Ecclesiæ, cum per baptismum in eam nondum ingressi sint, ergo, &c. Nec refert, quod teneantur sumere Eucharistiã, hoc enim verum est, quatenus sumptio Eucharistiæ est de iure diuino, vt dictum est vbi de hoc sacramento, &c.

Posterior pars suadetur, nam lex habet vim obligandi in conscientia, ex supra dictis, vnde qui eam transgrediuntur, peccant, & merentur pœnam: peccare autem, & pœnam mereri non habent locum in iis, qui rationis vsu carent.

Ex quibus collige 1. infideles, & infantes rationis vsu carentes non peccare, etsi diebus ieiunij carnes comedant. 2. neque etiam eos peccare, qui iis carnes comedentes tunc porrigunt, cum non cooperentur rei comedentibus illicitæ. 3. neque eos excommunicationem incurtere, qui infantes diuersi sexus, nondum ratione vtentes, in monasteria introducunt.

Dices, non licet porrigere cibos vetitos ebriis, vel ignorantibus esse diem ieiunij, etsi tamen illi non peccent, eiusmodi cibos comedendo: ergo idem dicendum de infidelibus, & infantibus nondum vsu rationis habentibus. Respon-

deo non sequi, nam isti non transgrediuntur præceptum, comedendo carnes die ieiunij; illi verò transgrediuntur, esto ea transgressio ipsis non imputetur ad culpam.

Nota, infantes statim adepto vsu rationis, teneri legibus Ecclesiasticis; quia cum sint subditi Ecclesiæ, & non possint iam excusari à legis obseruatione, ob defectum rationis, non est cur non teneantur ei obedire. Aliàs æquè dici posset, eos non obligari ad seruandâ legem naturalem, aut diuinam, quod nullus admittet. Accedit quòd ex capite. Omnis vtriusque sexus, fideles omnes, cum ad annos discretionis peruenerint, tenentur confiteri semel in anno. Vnde potest colligi, eos etiam teneri ad seruanda alia præcepta Ecclesiastica, nisi ex speciali aliqua ratione requiratur maior discretio, quam quæ anno septimo haberi solet, vt communiter requiritur ad sumpcionem Eucharistiæ; vel ab ipsa Ecclesia tempus obligationis sit determinatum, vt in præcepto ieiunij.

CONCLUSIO III. Peregrini transeuntes per aliquem locum, tenentur seruare leges illius loci, si quandiu ibi fistant obligatio earum vigeat.) Ratio est, quia non satis prouisum videretur re-

Etæ gubernationi Reipublicæ si peregrini non tenerentur seruare leges locorum per quæ transeunt: sic enim incolæ facile turbarentur, & spernendi leges occasionem tumerent. Quare cum hoc graue sit incommodum, ipsarumque legum fini repugnans, consequenter dicendum est, peregrinos debere se conformare statutis locorum, per quæ transeunt.

Confirmatur, nam in communi sententia, peregrinus tenetur seruare leges loci qua transit, quando illæ destinantur ad commodum aliquod temporale illius loci, vt si verbi causa, prohibitum sit, ne triticum inde extrahatur. At hæc ratio aut nullius est momenti, aut concludit de omnibus legibus, cum lex nō sit, quæ in bonum subditorum non tendit: & prætereà negari non possit, quin ad bonum Reipublicæ spectet, ne subditi malo aliorum exemplo, ad contemptum legum inducantur.

Dices 1. nemo tenetur legem ab aliquo, latam seruare, nisi sit illius subditus: at peregrinus cum non habeat domicilium, aut quasi domicilium in loco per quem transit, non est subditus illius, qui ibi legem tulit, ergo, &c. Respondeo 1. hoc argumentum posse retorqueri, vt patet ex iam dictis. 2. modicam habi-

tationem sufficere, vt peregrinus subdatur alicui, pro modico tempore.

Dices 1. Sacerdos Latinus tenetur celebrare in azymo. quādo transit per Græciam, & Græcus in fermentato, quando trāsit per loca Latinorum. Ergo peregrinus non tenetur seruare leges loci, per quem transit. Respondeo non sequi: nam si antecedens verum est, quod tamen à plerisque negatur, ideò est, quia ex speciali mandato summorum Pontificum, tenentur Sacerdotes in Missæ celebratione seruare morem suæ Ecclesiæ. Hinc autem non licet colligere generatim, peregrinos non debere sequi morem loci, per quem transeunt; quando in eorum patria opposita viget consuetudo.

Nota 1. prædicta intelligi de legibus, quæ sunt speciales illius loci, per quem peregrinus transit: si enim agatur de legibus communibus, dubium non est, quin teneatur eas obseruare, etsi in illius patria non vigeant. Vnde peccaret Castellanus, qui transiens per Galliam, animalium intestinis die Sabbathi vesceretur, & ciuis Mediolanensis qui Romæ 4. primis diebus quadragesimæ carnes comederet.

Nota 2. resolutionem allatam habere locum à fortiori in vagis, qui nullibi si.

zum habent domicilium: cum enim absurdum sit existimare, eos nullis legibus particularibus teneri, dicendum est illos subiici legibus loci, qua transeunt. Vnde etsi vagus alibi delictum commiserit, potest puniri à Iudice loci, in quo capitur, nisi petatur à Iudice loci, in quo delictum patrauit.

CONCLUSIO IV. Peregrini nō tenentur seruare leges suæ patriæ, quando sunt in locis, vbi non vigent.) Ratio est, quia Principes non possunt ius dicere, nisi in proprio territorio; hæc enim est veluti sphaera, extra quam eorum aetiuitas non se extendit. Quare peregrini non tenentur seruare leges suæ patriæ, quando extra illam commorantur. Neque dicas eos adhuc esse subditos, sunt enim tantum radicaliter & remotè, non tamen proximè, & quoad actuale obligationem seruandi leges patriæ. Hinc, etsi Lutetiæ festum sanctæ Genouefæ celebretur, non peccat Parisinus, Missam eo die non audiens in locis vbi festum illud non colitur: non enim eiusmodi obligationes cadunt in subditos absolute, & secundum se, sed quatenus existunt in locis, vbi vim habent.

Quæres 1. an die Festo tenearis audire Missam, antequam è tua Parochia

ex eas, si extrà Festum non sit. Respondeo
 1. si sacrum fiat antequàm ex eas, te de-
 bere illi interesse, siquidem obligatio au-
 diendi sacrum vrget, & nihil impedit vt
 suppono, quin possis audire. 2. si sacrum
 nondum fiat; te non teneri expectare
 donec celebretur, vt illud audias; quia
 per præceptum audiendi Missam non te-
 neris è loco non egredi, sed tantùm au-
 dire Missam si commodè audiri potest.

Nota priorem ex his responsionibus à
 nonnullis intelligi, siue aliæ Missæ in ea
 Parochia recitandæ sint, siue, non: putant
 enim in vtroque casu, tibi incumbere
 obligationem audiendi Missam, antequàm
 ex eas. Alij tamen existimant, quando
 sunt alia sacra celebranda, te posse exire,
 antequam Missam audias; si quidem in
 eo casu nondum obligat præceptum au-
 diendi Missam, vt ex eo patet, quia præ-
 cepto satisfacies, si aliquam ex Missis se-
 quentibus audias: aliunde verò ex vi
 præcepti audiendi Missam, non teneris
 ibi sistere; ergo si exire velis, non tene-
 ris Missam audire. Verùm responderi
 potest, præceptum audiendi primã Mis-
 sam obligare, si nolis ibi expectare, do-
 nec secunda celebretur: ac proinde te-
 neris sacro interesse, antequam ex eas.

Quæres 2. an si in tua Parochia ieiui-

natur, liceat tibi ieiunium frangere antequam exeas ad aliam, in qua ieiunium non seruatur. Respondent aliqui te obligari ad ieiunium, quorum ratio est, quia ieiunium pro tunc obligat in loco in quo degis: ergo teneris illud seruare. Nec refert quod quādo ad aliam Parochiā peruenieris, à ieiunio sis excusandus, hoc enim fiet ex speciali illius loci priuilegio, quod ad te extendi non debet, quamdiu extra illum versaris. Alij tamen probabilius oppositum sentiūt, quia præceptum ieiunij est indiuisibile, obligans pro die integro, non autem pro aliqua parte illius dūtaxat, ita vt si quis aliqua parte diei non tenetur ieiunare, nec tenetur reliqua. Quare cum in dicta occasione, non teneris ieiunare vespere, nec teneris mane.


Vnde ad rationem allatam dici potest, ieiunium per se loquendo obligare in loco vbi es, non tamen te obligare, ex hypothesi quòd paratus sis discedere, & ad locum in quo non est obligatio ieiunandi, transire: quemadmodum non teneris hodie mane ieiunare, si moraliter certus sis, te dispensationem ieiunandi obtenturum post meridiem; quia scilicet lex ieiunij sic imposita est, vt non obliget ad vnam partem diei, si non obligat

ad reliquas. Quò fit, vt si quis vice versa ieiunās manè, in loco vbi non ieiunatur, accedat postea ad locum vbi seruatur ieiunium, ille non teneatur reliqua diei parte ieiunare.

Nota eum qui ob iam dicta, non tenetur ieiunare in locis vbi seruatur ieiunium, teneri saltem à carnibus ibi abstinere; quia præceptum abstinendi à carnibus obligat, pro singulis diei partibus. Quare cum possis, illud seruare, antequam ad locum vbi non ieiunatur, te conferas, tandem obligaris ad illius obseruantiam, esto ieiunium tibi soluere liceat.

Quæres 3. an licitum sit exire è loco in quo ieiunatur, eo animo vt non ieiunetur in alio, vbi ieiunium non obligat. Respondeo affirmatiuè, nam ille non peccat, qui iure sibi concessio vtitur, at ille qui, vt liber sit ab obligatione ieiunandi, tendit ad locum vbi non ieiunatur, vtitur iure sibi concessio, ergo non peccat.

Nec dicas, nemini debere fraudem suam patrocinari, cum enim ille non teneatur manere in loco vbi ieiunium seruatur, sed possit ad alium se conferre, ibique lex ieiunij non obliget, dici non potest eum fraudem committere, quatenus eò tendere vult, vt ab obligatione ieiunandi liber sit, sed tantum illum vti iure suo, quod nequaquam illicitum est.



CAPVT IX.

De lege pœnali.

CONCLUSIO I.

Datur lex aliqua merè pœnalis, eo sensu, vt non obliget ad culpam, sed tantum ad pœnam.) Ita S. Thomas 2. 2. quæst. 186. artic. 9. ad 1. vbi hoc probat ex eo, quod in sua religione aliqua regulæ transgressio, vel omissio ex suo genere, non obligat ad culpam siue mortalem, siue venialem, sed tantum ad pœnam taxatam sustinendam. Neque refert quod 1. 2. quæstio. 96. artic. 4. dicat, leges humanitùs positas si iustæ sint, habere vim obligandi in foro conscientiæ: hoc enim verum est de plerisque legibus humanis, non tamen generatim de omnibus.

Potest etiam idem ratione ostendi, nam lex purè pœnalis hîc dicitur, qua non præcipitur absolutè vt aliquid fiat, aut non fiat, sed qua præcipitur, & talis pœna imponatur ei, qui hoc fecerit, aut non fecerit: at nihil vetat, quin lex eo modo

imponi possit, vt vel ipsa experientia constat, ergo lex purè pœnalis dari potest. Confirmatur, nam etsi lex absolutè præcipiens, vt aliquid fiat, obliget in conscientia, siue pœnam apponat, siue non: ea tamen quæ tantum præcipit sub disiunctione, vt quis hoc faciat, vel tali pœna mulctetur, non obligat sub peccato ad faciendum, sed tantum ad pœnam subeundam, nisi faciat. Quomodo qui vouet se ieiunaturum die veneris, aut eleemosynam daturum non peccat si non ieiunat, sed tantum tenetur dare eleemosynam, in pœnam ieiunij prætermissi.

Dices 1. homo non meretur pœnam, nisi propter culpam, ergo repugnat quod sit lex aliqua, saltim iusta, quæ non peccantem ad pœnã obliget. Respondeo vt homo pœnam mereatur, nõ requiri culpã strictè sumptam, quatenus est offensa erga Deum, sed sufficere culpam civilem, & politicam quæ coram Deo peccatum non est. Vnde fit vt quo hæc culpa grauior est, eo etiam pœna ipsi imposita grauior esse possit.

Dices 2. eo ipso quòd actus deflectit à lege, quæ ipsius regula est, caret rectitudine debita, adeoque moraliter malus est, Respondeo actum deflectentem à lege non obligante ad culpam, sed ad pœnam,

esse moraliter malum, quoad homines
tatum, non quoad Deum.

CONCLUSIO II. Lex pœnalis,
etsi non obliget in conscientia ad faciē-
dum, aut non faciendum actum quem
præcipit, aut prohibet, sic tamen obligat
ad subeundam pœnam, quæ pro illius
transgressione decernitur.) Ratio est, quia
ideò non obligat in conscientia ad fa-
ciendum actum, quia non præcipit abso-
lutè ut fiat: at præcipit absolutè, ut non
faciens actum puniatur, hocque præcep-
tum est iustum; ergo obligat in cons-
cientia, ad subeundam pœnam statutam.

Dices, non potest homo in conscientia
obligari ad subeundam pœnam, quam
velit nolit subire tenetur, at eiusmodi
pœnæ plerūque influentur per leges pœ-
nales, ut cum quis ob crimen patratum,
eo ipso contrahit excommunicationem,
vel irregularitatem. Respondeo in eo
casu transgressorem non obligari sub
peccato, ad subeundam pœnam, quatenus
hæc dicit meram receptionem in subie-
cto, sed ad eam patienter, & sine resisten-
tia ferendam; ita ut si sit excommuni-
catus ab aliorum consortio abstineat; si
irregularis, ordines non suscipiat, &c.

Verùm hic dubitari potest, an reus
teneatur sub peccato, pœnam propria

actione, ex natura rei ad eam requisita, exequi. Respondeo 1. interdum teneri. Ratio est, quia cum legitima & iusta sit condemnatio, sicut condemnatus tenetur pœnam subire, ita & sua actione cooperari, quantum ad executionem pœnæ necessarium est; siquidem Iudex ad utrumque eum condemnare censetur. Unde qui pœna exilij damnatus est, tenetur ad locum exilij sponte proficisci; & qui ad solutionem pecuniarum damnatus est, tenetur solvere, etsi non exigantur.

Respondeo 2. non teneri, quando pœnæ sunt grauiiores & difficiliiores, ut si reus damnatus sit ad mortem, vel ad mutilationem: quòd enim homo seipsum occidat, aut mutilet, hoc nimis acerbum est & difficile, ut à lege quæ iusta & moraliter possibilis esse debet, præcipi possit. Quare esto pœnas illas pati debeat, quando iustè ipsi infliguntur, adeoque indirectè ad eas & remotè cooperari; non tamen ipsemet tortoris munus in seipsum exercere tenetur, directè ad eas cooperando. Imò per se loquendo, est graue peccatum, contra legem naturalem, seipsum eo casu mutilare, vel occidere: cum enim præceptum iniu-

stum fit, talis pœnæ executio per illud honestari nequit.

Ex quo colligis, eum qui damnatus est ad venenum bibendum, non posse tali præcepto obtemperare, quia sic esset directè & positivè causa mortis suæ. Nec dicas, ex multorum sententia, eum qui damnatus est ad mortem fame perferendam, posse cibos oblatos acceptare, vel etiam respuere. Qui enim respuit, non sibi directè, & positivè mortem infert, sed mortem iustè illatam æquo animo sustinet.

Dices, quando pœna mortis iusta est, iusta etiam est cooperatio ad illam; quare si ad mortem iustè damnatus sit, poterit & ille iustè ad eam cooperari, seipsum positivè occidendo. Respondeo, ut mors iusta sit, non sufficere quòd reus ea dignus sit sed prætereà requiri, ut à ministro, ad id munus ritè destinato, indigatur; qualis non esset reus respectu sui ipsius, ut patet ex dictis.

CONCLUSIO III. Qui legem transgreditor, aliquando tenetur pœnam statutam subire, ante iudicis sententiam, aliàs non.) Ut hoc intelligas Nota, hic non esse quæstionem de pœna quæ dicitur ferenda, scilicet per iudicis senten-

riã sed de ea quæ dicitur lata ipso iure, aut quæ ipso facto dicitur incurri. Clarum enim est legis transgressorem non teneri, pœnam prioris generis subire, ante Iudicis sententiam. Agendo ergo de pœna posteriori, siue sit priuatiua, siue positua.

Dico 1. transgressorem aliquando teneri pœnam priuatiuam subire, ante Iudicis sententiam. Hoc patet in primis in censuris Ecclesiasticis, quæ ex v^o communi censentur contrahi, ante vllam Iudicis declarationem. Idem etiam constat in variis pœnis, per quas ius acquirendum impeditur: illæ enim obligant ante declarationem iudicis. Et sic qui accepit beneficium parochiale, tenetur illud dimittere, nisi intra annum recipiat ordinem sacerdotalem. Et beneficiarij non recitantes horas canonicas, tenentur pro rata fructus restituere, &c. Verum hæc non tam videtur pœna, quàm conditio sub qua aliquid conceditur, cuius defectu gratia concessa deperditur.

Dico 2. varias esse pœnas priuatiuas, quas legis transgressor non tenetur subire, ante sententiam Iudicis, eas nempe quæ priuant iure quæsito, seu cuius possessio inchoata est. Vnde etsi simoniaci ipso facto priuentur beneficiis obtentis

non tamen tenentur iis renunciare, ante sententiam Iudicis; & similiter hæretici non tenentur, nisi post Iudicis sententiam, bona sua fisco tradere, etsi iis ipso iure priuentur, à die commissi criminis. Vfus tamen inualuit, vt coniux incestuosus priuetur iure petendi debitum, ante vllam declarationem Iudicis.

Aliqui hæc ita limitant, vt transgressor non teneatur talem poenam subire, ante Iudicis sententiam, nisi lex expressè statuat, eum ante aliam declarationem, ipso facto poenæ obnoxium esse. Alij tamen eiusmodi limitationem reiciunt & legem ita explicant, vt nolit eum debere poenam soluere, ante declarationem criminis, sed ante declarationem poenæ. Et ratio est, tum quia quando agitur de poenis, eo oranium consensu restringendæ sunt, quantum commodè fieri potest; tum quia valde durum est, quod legem transgrediens teneatur ante declarationem Iudicis, se priuare beneficiis, vel officiis quæ possidet: quare credendum non est, eum esse sensum legis, præsertim quia cum hæc poenæ, etiam propter occulta crimina imponantur, teneretur reus seipsum non rarò infamare, si ei poena ipso facto sub-

eunda esset. Si tamen clarè constaret eam esse legislatoris mentem, ei standum esset.

Dico 3. transgressorem non teneri, ante Iudicis sententiam, eam poenam subire, quæ ad sui executionem exigat actionem aliquam, siue ipsius rei, siue alterius. Probat, nam imprimis sunt quædam eiusmodi poenæ, ad quas reus non tenetur directè concurrere, siue ante, siue post Iudicis sententiam, ut patet ex conclus. præcedenti. Etsi verò aliæ sint, ad quas tenetur sponte cooperari, non tamen apparet, quòd id præstare debeat, ante Iudicis sententiam; quia sic reus esset accusator, & Iudex sui ipsius, deberetque seipsum punire, ante quamcunque Iudicis declarationem; quod nimis durum est, ut à lege humana intendatur.

Nota, ex iam dictis non debere colligi, nullam esse poenam latæ sententiæ, sed tantum ferendæ, adeoque vulgarem illam distinctionem poenæ contruere: non enim id sequitur, quia quando poena est latæ sententiæ non debet expectari sententia Iudicis, ad poenam imponendam, sed ad declarandum crimen, propter quòd quis poenam lege statutam mereatur. Secus quando est poena sententiæ

ferendæ. Vnde fit, vt si commissum sit crimen, cui bonorum confiscatio ipso facto est imposita, teneatur reus, accedente sententia declaratoria criminis, fructus restituere, quos à tempore patrati criminis percepit. Imo, si reus mortuus est, possint conueniri hæredes, ad restitutionem fructuum quia bona ad eos transeunt, cum reali obligatione. Hæc autem non habent locum, quando pœna est ferenda; quare magnum adhuc intercedit discrimen, inter pœnam latæ, & ferendæ sententiæ.


CONCLUSIO VI. Iudex inferior tenetur iis, qui legem transgrediuntur, pœnam imponere.) Probatur, nam proprium Iudicis officium est curare, vt leges Reipublicæ obseruentur, adeoque declarare, secundum allegata & probata, eum qui accusatur, esse reum criminis lege prohibiti, & consequenter pœnam quam meruit ei imponere. Confirmatur, quia alioqui leges nullam vim haberent, prorsusque essent inutiles, nisi teneretur Iudex pœnam imponere; saltem quando non tenetur reus, ante sententiam Iudicis, aut condemnatoriam, aut certè declaratoriã, eam subire: quod vt plurimum contingere, ex ante dictis perspicuum relinquatur.

Nota 1. iam dicta præcipuè intelligi de iudice inferiori: nam Legislatoꝝ, ex communi sententia, potest poenam remittere transgressoꝝ; cùm obligatio, si quam habet ad poenam imponendam, oriarur ex sua lege, qua tamen non tenetur. Verùm cùm ille potestate quam habet condendi leges, & puniendi transgressoꝝ earum, vti debeat in bonum Reipublicæ, hinc fit vt non sit liber à culpa, si reo, sine causa rationabili, poenam lege statutam condonet, cùm talis remissio in perniciem Reipublicæ vergere soleat.

Nota 2. ad officium Iudicis spectare, eam poenam imponere, quæ in lege determinata est: sicut enim lex eum obligat, ad poenam imponendam, ita & ad eam imponendam, quæ ipsa lege taxatur; alias poenæ determinationem relinqueret illius arbitrio. Non tamen contra legem peccabit, si poenam absolutè pro tali delicto ferendam, interdum augeat, vel minuat, iuxta varias circumstantias occurrentes, quæ peccatum aggrauant, aut minuunt.

Nota 3. conclusionem nostram præcipuè habere locum in poenis, quæ dicuntur ferendæ sententiæ, seu quas Iudex, ex præscripto legis imponere tenetur.

Verum ea etiam ad poenas latae sententiae extendi potest, si non incuruntur, nisi post declarationem sententiae: tenetur enim iudex tunc declarare, crimine fuisse commissum, propter quod quis poenam lege latam incurrit, simulque dare operam, ut talis poena executioni mandetur.



CAPVT X.

De consuetudine.

CONCLUSIO I.

Consuetudo habet vim legis.) Hoc ut melius percipias, Nota 1. consuetudinem hic non sumi pro usu frequenti, sed pro iure quod ex tali usu ortum habet: unde solet definiri, ius quoddam moribus constitutum quod pro lege suscipitur, cum deficit lex id est, quod habet vim legis, cum non adest lex, quae obligationem inducat.

Nota 2. consuetudinem, quae est secundum legem non facere nouam legem, sed esse legis iam positae obseruationem: quae vero est praeter legem, nouum ius constituere, sicut & illam quae est contra legem humanam, non tamen eam

quæ legi naturali, aut diuinæ repugnat: quæ enim duabus his legibus contraria sũt, mala adeóque vim obligandi habere nequeunt.

Dices esse etiam mala, quæ repugnant legi humanæ. Verùm discrimen apertum est inter leges illas, quòd naturalis deficere non potest diuina verò semper manet, cum Deus non consentiat in abrogationem illius: at humana, ex consensu saltem tacito legislatoris, per oppositam consuetudinem tollitur, adeóque peccatum non est, contra illam agere quando opposita consuetudo legitime introducta est.

CONCLUSIO II. Ut consuetudo habeat vim legis, varias condiciones habere debet.) Prima est, ut versetur circa materiam, de qua lex statui possit: vnde sicut nõ potest lex statui, ita nec induci cõsuetudo, de actibus malis, aut cõmuni bono repugnãtib, aut inutilibus.

Secunda, ut inducatur per actus liberos, cùm ij tantũ habeant vim obligandi. At hĩc agimus de consuetudine; quæ habet vim legis, cuique proinde vis obligandi competit.

Tertia, ut per varios, & longo tempore repetitos actus stabiliatur: non enim aliter legitimã præscriptionẽ ad obligãdum

dum

am requisitam quæ communiter decennium non interruptum exigit, habere potest.

Quarta, ut actus illi à maiori parte communitatis eliciantur, sintque externi, & iis noti qui consuetudinem introducere volunt; quia aliàs non sufficerent ad constituendam legem externam, & omnes generatim obligantem.

Quinta, ut consuetudo non introducatur, sine consensu saltem tacito Principis, cum aliter legis vim habere nequeat. Dico, saltem tacito, non enim requiritur, ut Princeps sciat nouam consuetudinem introduci, eamque formaliter approbet; sed sufficit, quòd id sciens, non contradicat, cum potest contradicere, sine graui incommodo; vel etiam quod factum ignorans, ius commune non reuocet, quo statuitur, consuetudinem laudabilem, & legitime præscriptam vim legis habere. Tale siquidem ius tacite approbando, censetur approbare omnes consuetudines speciales quibus duæ illæ conditiones conueniunt, etsi illas distinctè, & in particulari non cognoscat.

CONCLUSIO III. Varij sunt effectus consuetudinis.) Primus est, inducere obligationem, tam ad culpam, quàm ad pœnam, ut patet ex supradictis de obligatione Angelis.

L

gatione legis: cum enim consuetudo vim legis habeat, debet eandem inducere obligationem, quam imponit lex. Unde quemadmodum datur lex aliqua merè pœnalis, quæ scilicet obligat tantum ad pœnam, non ad culpam, ita potest introduci consuetudo, quæ ad solam pœnam obliget.

Secundus effectus consuetudinis est, legem præcedentem abrogare: siquidem, ex dictis, consuetudo habet vim legis; et prioris legis obligatio tollitur per posteriorem, eo quòd lex non obligat, nisi iuxta intentionem legislatoris, cuius voluntas posterior præferenda priori. Ergo & ipsa consuetudo legitime introducta, habet vim abrogandi legem præcedentem, & tollendi obligationem illius.

Nota 1. per consuetudinem abrogari posse legem irritantem, cum per legem de nouo statutam id fieri queat & in vtraque sufficiens causa occurrere possit, quæ huiusmodi abrogationem honestet. Unde per consuetudinem possunt impedimenta, iure humano matrimonium irritantia, abrogari.

Nota 2. legem prohibentem consuetudinem contrariam posse abrogari per talem consuetudinem superuenientem, quando contingit res ita mutari, ut ex

prudenti iudicio illud rationabile, & communi bono consentaneum videatur, quòd aliàs, quando lex statuta est, propter alias circumstantias inconueniens apparebat: non enim legislator talem casum comprehendisse censeretur.

Tertius effectus consuetudinis est, inducere legem irritantem; si enim potest legem irritantem abrogare, poterit & irritantem inducere. Vnde quemadmodum per legem, ita & per consuetudinem possunt introduci impedimenta matrimonium irritantia. Neque refert, introducentes esse inferiores Pontifice, quia hoc non fieret, sine consensu illius, superius explicato.

Quartus effectus est, legem interpretari, vt à fortiori ex dictis colligitur, quia minus est, legem interpretari, quam eam abrogare, & nouam condere. Et aliunde lex interdum valde obscura est, neque meliùs vera illius interlligentia haberi potest, quam ex communi hominum sensu, per receptam consuetudinem satis manifestato. Vnde consuetudo, optima legum interpres.

Notant hic aliqui, consuetudinem interpretatiuam habere vim legis, & necessario sequendam esse, quando legitime præscripta est: deficiente verò præscrip-

tionem, eo probabilius legem interpreta-
 ri, quo diutius & maiori consensu serua-
 tur. Verum exactè loquendo, consuetu-
 do priori modo spectata, non videtur
 lex, tum quia si legis observatio præ-
 scripta legem constitueret, eiusdem ob-
 servatio rursus per æquale tempus serua-
 ta, haberet vim legis, & sic consequenter
 multæ leges ex vnius observatione, suc-
 cessu temporis generarentur; tum quia vt
 consuetudo vim legis obtineat, qui eam
 inducunt, debent habere intentionem se
 obligando ad observationem illius, ex
 supradictis: at qui operantur secundum
 legem statutam, tali intentione carent,
 cum non agant nisi animo observandi
 legem antiquam, & ex illius præscrip-
 to.

CONCLUSIO IV. Consuetudo
 abrogari potest per sequentem legem,
 & per oppositam consuetudinem.) Prior
 pars probatur: nam si consuetudo legem
 abrogare potest. vt dictum est quæ ratio
 est cur lex consuetudinem abrogare non
 possit; cum recepta consuetudo non tol-
 lat, aut minuat potestatem quam habet
 Princeps condendi legem, & obligandi
 ad observationem illius: neque vim legis
 habeat, nisi quatenus Princeps in eam
 consentit, vt dictum est. Et sic per Con-


eilium Trident. sess. 23. de reformatione cap. 15. abrogatur consuetudo illa, qua simplex Sacerdos poterat sibi in confessorium eligere, quem volebat.

Verum quia Princeps per legem, non censetur abrogare oppositam consuetudinem, nisi eam cognoscat, hinc colligitur 1. per legem vniuersalem, abrogari tantum consuetudinem vniuersalem, non autem specialem alicuius loci, nisi illius mentionem faciat, aut clausulam cuiuscunque consuetudinis derogatoriam contineat; quia legiflator prælumitur illam cognoscere non istam. 2. neque etiam per legem particularem, latam à Principe vniuersali, derogari per se loquendo consuetudini particulari; quia Princeps æquè censetur ignorare consuetudinem particularem, siue legem particularem, siue vniuersalem statuat. Quando lex particularis procedit à superiore particulari, per eam derogari consuetudini particulari quia superior particularis legem cōdens, censetur non ignorare eiusmodi consuetudinem. Vnde lex ab Episcopo lata, oppositam consuetudinem, in illius diocesi receptam, tollit: & statuta specialia alicuius Urbis, consuetudinem ibi obseruatam infirmant.

Posterior pars ex dictis facile colligi

potest: nam cum non introducatur consuetudo, ut supponimus, nisi ex consensu Principis; sicut per eam tollitur lex antiqua, ita & consuetudo recepta per eandem abrogatur, si ei sit opposita.

Nota 1. consuetudinem vniuersalem non abrogari ex toto, nisi per oppositam consuetudinem vniuersalem: si enim quæ de nouo introducitur sit particularis, ea non abrogabit vniuersalem, nisi quoad specialem locum in quo vigere incipit. 2. non plus requiri temporis, ut vna consuetudo tollat aliam, quam ut lex tollatur per consuetudinem; quare sicut ad hoc, ita & ad illud decennium sufficit. 3. eos qui nouam introducunt consuetudinem, contrariam legi, aut consuetudini receptæ, peccare per se loquendo, quamdiu defectu sufficientis præscriptionis, consuetudo introducta vim legis non obtinet: quia tandiu lex, vel consuetudo opposita viget, & obligat. Dico, per se loquendo, nam fieri potest ratione ignorantia, ut peccatum non committatur, etsi tempus ad legitimam præscriptionem requisitum elapsum non sit: præsertim quando noua consuetudo ita inualuit, ut plerique viri boni eam sine scrupulo obseruent.



CAPVT XI.

De dispensatione.

CONCLUSIO I.

Dispensatio propriè hîc sumitur, pro iuris relaxatione. seu pro exemptione ab obligatione legis.) Ex qua definitione communiter recepta, colligitur. 1. dispensationem longè differre à legis interpretatione: legem enim interpretari, est opus scientiæ & prudentiæ; in ea verò dispensare, ad iurisdictionem pertinet; unde periti possunt legem interpretari, & declarare an ea in tali casu obliget, vel non; dispensare autem in lege, solius est superioris.

Neque refert, quòd S. Doctor 1. 2. quæst. 97. art. 4. dispensationem videatur sumere pro interpretatione, qua legislator declarat legem deficere, seu non obligare tales personas in hoc, vel illo casu: cum enim addit, eum tunc licentiam tribuere, vt præceptum eius non seruetur, satis indicat obligationem non esse penitus ablatam, sed causam ratio-

nabilem dari, cur relaxari debeat. Apertius autem mens illius potest intelligi ex responsione ad 3. cum negat Summo Pontifici potestatem dispensandi in lege naturali, aut diuina; siquidem, omnium consensu, potest eiusmodi leges interpretandi ipsi competit.

Collige 2. dispensationem differre à simplici permissione, nam per dispensationem tollitur obligatio legis, non autem per solam remissionem; quo fit, ut ille non peccet, qui dispensatus agit contra legem, ille verò culpæ, & poenæ sit obnoxius, qui contra legem agere permittitur; aliàs nemo peccaret, cum peccatum non nisi Deo permittente committatur.

Collige 3. esse discrimen inter abrogationem, derogationem, & dispensationem legis: & quidem abrogationem habere locum, quando tota lex, illiusque obligatio respectu omnium locorum, temporum, & personarum tollitur: derogationem verò, quando lex secundum aliquam sui partem, in vniuersum aboletur: dispensationem autem quando tollitur legis obligatio in hoc casu, respectu talis personæ, temporis, &c. eiusdem legis vinculo interim quoad hoc ipsam, respectu aliorum manente.

CONCLUSIO II. Potest legislator humanus dispensare in suis legibus.) Probatum, nam dispensare est in aliquo casu tollere, aut suspendere obligationem legis: at hoc potest legislator humanus, cum leges quas condit, non habeant obligandi vim, nisi ex illius voluntate. Quod autem dicimus de legislatore, extendendum est non modo ad illius superiorem, sed etiam ad successorem, si sit illi æqualis in iurisdictione. ut patet ex paritate rationis.

Vbi nota 1. hoc procedere, etsi lex iuramento sit confirmata, quia quando legislator iurat, se daturum operam, ut lex quam statuit obseruetur, hoc debet intelligi sub ea conditione, nisi causa rationabilis & iusta dispensandi occurrat. Item, etsi superior legislatoris legem illius confirmauerit, si enim lex erat, habebat vim obligandi, adeoque præsumendum est confirmationem superadditam nihil esse aliud, quam illius approbationem, sine animo nouæ iniiciendæ obligationis factam. Si tamen constaret, aliam esse mentem superioris, non posset inferior per se loquendo, in lege sic confirmata dispensare. Vnde.

Nota 2. non posse inferiorem dispensare in lege à superiore lata, quando su-

perior illius dispensationem sibi reser-
uauit, aut quando inferiori prohibuit, ne
in ea dispensaret: quia aliàs maior esset
potestas inferioris, quàm superioris,
quod per se absurdum est.

Sed quid, si dispensatio non sit expres-
sè reseruata, poteritne inferior eam
conferre? Respondeo negatiuè quia non
potest inferior tollere legem superioris,
aut impedire vel ex toto, vel ex parte ne
obliget, sine illius consensu: alioqui sa-
ne esset superior sui superioris, contra
hypothesim. At quamuis superior legem
condens, expressè non sibi reseruauerit
dispensationem illius, aut non prohibue-
rit inferiori, ne in ea dispense, non inde
sequitur, superiorem eo ipso dare facul-
tatem inferiori, vt in sua lege dispen-
set.

Neque à potestate absoluendi à censu-
ris, arguendum est ad potestatem dispen-
sandi in lege: illa enim est conformis iu-
ri, quod præcipit vt dispositus absoluatur,
hæc verò ius ipsum violat: quare licet
prior censeatur dari inferiori, quan-
do non reseruatur, non tamen poste-
rior.

Nota tamen 3. varios esse casus in
quibus potest inferior dispensare in lege
superioris. 1. quando superior dat illi

li talem facultatem. 2. quando, ex consuetudine legitimè præscripta, dispensat. 3. quando res est leuis. 4. quando lex non obligat sub mortali. 5. quando casus similes dispensatione egentes. sæpe eueniunt. 6. quando est grauis necessitas dispensandi, nec superior adiri potest; aut non nisi cum magno incommodo. Quorum omnium ratio est quia prudenter iudicari potest, non esse intentionem legislatoris, vt dispensatio in dictis casibus sibi reseruetur; eò quòd talis reseruatio, quoad aliquos casus esset parum utilis, quoad alios vero esset valde onerosa, & magis in communitatis damnum cederet, quàm in utilitatem illius.

CONCLUSIO III. Ad valorem dispensationis interdum iusta causa requiritur, aliàs non.) Prior pars habet locum, quando inferior dispensat in lege sui superioris; nisi enim adsit tunc legitima causa dispensandi, nulla est dispensatio. eò quòd superior non censetur dare facultatem inferiori, dispensandi in suis legibus, sine iusta causa, nisi forte declaret, se dare inferiori facultatem dispensandi, cum eadem potestate quàm ipse habet.

Posterior pars admitti solet, quando superior in sua lege dispensat: cum enim

legis obligatio ab eius voluntate pendeat, potest ille aliquem ab illius obligatione eximere, etsi alij eam obseruare teneantur; quare respectu illius valida erit dispensatio.

Nota 1. legislatorem peccare, sine causa rationabili dispensando in lege, vt colligitur ex S. Thoma 1. 2. quaest. 97. art. 5. quia scilicet alios eximere à graui iugo legis, quamdiu alij tenentur eam obseruare, hoc est inæqualitatem quandam constituere, ex qua inter subditos dissidia & scandala facile oriri poterunt: quare nisi causa aliqua rationabilis eiusmodi gubernationem honeste, ea non potest à culpa liberari. Porro etsi superior per se loquendo, non peccet nisi venialiter, aliquem ex suis subditis, sine iusta causa dispensando; peccatum tamen erit mortale, si inde graue aliquod detrimentum, aut scandalum oriatur.

Nota 2. inferiorem peccare mortaliter, in lege superioris sine causa iusta dispensando, cum in re graui suam transgrediatur potestatem, & alienam irrito conatu inuadat. Poterit tamen bona fides eum à peccato excusare, quamuis ea non sufficiat, vt dispensatio valida sit; quemadmodum nec sufficit, vt habentes im-

pedimentum dirimens, matrimonium validè contrahant.

Nota 3. etsi non teneatur superior dispensare, quando est probabilis causa non dispensandi, sicut & dispensandi eum tamen sub graui peccato, teneri dispensationem concedere, quando constat eam in bonum communitatis, aut alicuius particularis notabiliter cessuram, vt vel ex ipso legislatoris officio, quod in subditorum commodum ordinatur, colligi potest.

Nota 4. quando dispensatio non est debita, posse legislatorem eam concedere sub aliquo onere, non autem quando tenetur eam dare: esset enim iniustum, alicui onus imponere, pro re quam illi debes. Maximè, quia onus imponitur, vt sit causa sufficiens dispensationis; at quando debita est dispensatio, datur causa sufficiens illius, independenter ab onere superueniente, ergo tunc onus imponi non potest.

Nota 5. hæc procedere de ipso legislatore: dubitatur autè, an inferior quando dispensat in lege superioris, possit multam aliquam imponere, si aliunde sufficiens causa dispensandi non intercedat. Respondeo per se loquendo non posse, quia ex eo quod habeat potestatem dis-

pensandi in lege superioris, adeoque tollendi obligationem illius, non sequitur quod possit nouam obligationem imponere, ut perspicuum est. Neque refert quod plus sit dispensare in voto, quam illud commutare; ratio enim est, quia per dispensationem voti tollitur illius vinculum, per commutationem verò non tollitur, sed tantum illius materia mutatur. Unde mirum non est, quod quis possit votum commutare, etsi in eo dispensare nequeat.

Dixi, per se loquendo: si enim usus spectetur dicendum videtur inferiores habere facultatem, vel ex tacita superiorum licentia, vel ex consuetudine legitime præscripta. dispensandi in eorum legibus, imponendo mulctam pecuniariam, vel onus personale; cum prudenter damnari non possit praxis Episcoporum, qui interdum cum onere dispensant, quoad observationem festorum, aut ieiuniorum.

CONCLUSIO IV. Tunc nulla est dispensatio, quando tacetur aliquid in petitione, quod secundum iura exprimi debet.) Ratio est, quia talis expressio spectat ad formam, adeoque ad essentiam ipsius dispensationis; quare si deficit, dispensatio nulla est. Confirma-

tur, nam ex iure, concessio beneficij censetur irrita, quando impetrans non declarat, se aliud quantumuis exiguum habere: ergo similiter.

Vbi nota 1. hæc intelligi, etiam si quod tacetur tale sit, vt superior eo directo dispensationem æquè esset concessurus, vt in exemplo allato: quia eo non obstante, deest conditio essentialiter requisita.

Nota 2. irritam esse dispensationem, quando tacetur quod exprimi debet, siue secundum ius commune, siue iuxta stylum curiæ Principis, à quo obtinenda est dispensatio, cum hic ius faciat: siue etiam secundum consuetudinem legitimè præscriptam, quia hæc vim legis habet.

Nota 3. vt qualitas aliqua ex iure declaranda censeatur, non requiri vt expresse ius statuat eam aperiendam esse, sed sufficere si prohibeat, ne in tali casu dispensatio concedatur. Vnde quia Concilium Trident. sess. 24. de matrimonio cap. 5. spem omnem consequendæ dispensationis ei denegat, qui intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahit, hinc dispensatio ab eo obtenta censetur inualida, nisi declaret se prædicti impedimenti conscium nupsisse.

Nota 4. non sufficere ad valorem dispensationis, quòd qualitas exprimenda ignoranter taceatur: licet enim ignorantia possit à culpa excusare, non tamen sufficit ut valeat actus, cui aliquid essenziale deest. Hinc non valet dispensatio, si procurator tuus, te inscio, quæ dicenda sunt reticeat.

Nota 5. extra casus iure, aut consuetudine præscriptos, taciturnitatem veri inuvalidare dispensationem, quando taceatur aliquid ad rem pertinens, quo cognito superior non dispensasset; quia in eo casu non censetur habere voluntatem dispensandi, cum non dispense, nisi sub conditione quæ non est. Secus dicendum, si superior ea re quæ taceatur declarata, dispensaret quidem, propter causam allegatam, non tamen tam facile, quia concessio tunc est simpliciter voluntaria, & tantum secundum quid inuoluntaria.

Dixi, quando taceatur aliquid ad rem pertinens: nam si quod taceatur, non spectet ad materiam dispensationis, sed sit planè ad eam extrinsecum, & impertinens, ut si dispensandus sit vitiosus, illius reticentia non vitiat dispensationem, etsi superior eo cognito non fuisset concessurus.

Ex quibus omnibus colligendum 1. ad valorem dispensationis non opus esse, ut petens declaret eam sibi aliàs fuisse negatam, quia hoc ad rem non facit. 2. non etiam requiri ut fiat mentio similis dispensationis aliàs obtentæ, cum iura talem conditionem non exigant.

Excipe, nisi hoc cedat in præiudicium tertij, ut si iterum petas dispensationem à decimarum solutione, vel à residentia cum perceptione fructuum. Excipe etiam, si aliter non potest superior intelligere, quantitatem gratiæ quam concedit, ut si quis obtenta, ad ineundum matrimonium, dispensatione primi vxoricidij, petat dispensationem secundi: hæc est enim longè maior gratia, quæque communiter negari solet. Unde superior non censetur velle simpliciter tunc eam concedere, sed tantum quatenus habet proportionem cum causa allegata præcisè spectata, ac si esset primum vxoricidium.

Quæres, an idem dicendum sit de secunda dispensatione, in voto castitatis. Aliqui affirmant ex eodem fundamento, quia scilicet nisi declares, te aliàs fuisse dispensatum, ut vnum matrimonium contraheres, Pontifex non intelligit, quanta sit gratia, quam tibi confert per secundam dispensationem, adeoque:

non consentit in collationem illius. Oportitum tamen videtur probabilius, supposito quòd eadem causa petendi, & obtinendi priorem dispensationem adhuc perseueret, vt si petens non minorem experietur difficultatem in seruanda castitate: sic enim est sufficiens adæquatio inter causam allegatam, & gratiam obtentam. Et aliunde petens secundam dispensationem à voto, non habet eam indignitatem quam ille contrahit, qui secundum crimen perpetrat, post obtentam dispensationem à primo.

CONCLUSIO V. Expressio falsi irritat dispensationem quando est causa finalis, & non tantum impulsiva illius concedendæ. Id est, quando superior causa falsò allegata ita mouetur ad dandam dispensationem, vt sine ea non esset concessurus; quia scilicet tunc non censetur adesse sufficiens consensus, qualis necessarius est vt rescriptum valeat. Vnde conditio illa, si preces veritate nitantur, quæ in dispensationibus, aliisque gratiis apponi solet, explicatur communiter de veritate requisita in substantialibus, id est, in iis sine quibus gratia non concederetur. Quamquam secùs sentiendum sit in accidentalibus, seu sine quibus gra-

ria quidem concederetur, etsi difficilius; quia nunc sufficiens dispensatis consensus adest.

Hinc non valet dispensatio, tum quando non nisi vna, eaque falsa dispensandi causa proponitur; tum quando duæ causæ proponuntur, quarum vna est falsa, & alia vera, & illa est finalis, hæc tantum impulsiva: tum quando dispensatio æqualiter datur ob vtramque illam causam, ita vt neutra sigillatim ad eam obtinendam sufficiat. Tenet tamen, quando datur propter veram causam, etsi aliæ falsæ proponantur, quarum ratio non habetur.

Notandum autem i. quando dubium est, an causa falsò expressa sit finalis, an tantum impulsiva, præsumendum eam esse impulsivam, quia in dubio iudicandum est pro valore actus. Vnde dispensatio eo modo obtenta valida censenda est, & qui eam obtinuit, potest tuta conscientia ea vti, verbi causa, matrimonium inire, si antequam nubat dubitatio suboritur, an causa quam falsò allegavit, talis sit, vt sine ea dispensationem non obtinuisset. Nec refert quòd possessio stet pro impedimento, quia præsumptio pro valore actus præponderat.

Notandum 2. dispensationem valere, quando erratur circa nomen personæ; pro qua dispensatio petitur; quia scilicet dispensatio petitur pro tali persona, eique confertur, quicquid sit de illius nomine. Confirmatur, nam ex communi Iuristarum sententia, valet legatum, etsi testator in nomine legatarij errauerit, modo de persona constet.

Excipe, nisi dispensans ex falso nomine proposito, intelligat personam aliquam sibi notam: tunc enim dispensatio valere nequit, cum dispensans non intendat eam concedere personæ, pro qua postulatur, sed alteri ab ea distinctæ. Nec dicas, Sacramentum validè conferri, etsi minister erret in persona suscipientis: hoc enim verum est, quando intendit Sacramentum conferre personæ præsentis, quæcunque sit: in dicto autem casu legislator non dirigit suam intentionem ad eum, in cuius gratiam dispensatio petitur, sed ad alium sibi notum: quare dispensatio tunc valere nequit.

Notandum 3. non valere dispensationem, quando erratur in persona quæ designatur, ad expediendum rescriptum. Sit exemplum: cum petis dispensationem ad ineundum matrimonium, fingis te esse diocesis Parisiensis, cum tamen sis Ro-

Rothomagensis. Unde fit vt executio rescripti, quo tibi dispensatio illa conceditur; Officiali Parisiensi committatur. In eo casu dico dispensationem esse inutilem, cum nequeat Officialis Parisiensis eam exequi, eò quòd intentio Pontificis est, talem executionem tuo ordinario committere; neque etiam Rothomagensis, qui ad eum non dirigitur.

CONCLUSIO VI. Multa obseruanda sunt ab eo, cui executio dispensationis datæ a Summo Pontifice, committitur.) In primis requiritur vt ille Doctoris, vel in Theologia, vel in Iure canonico laurea insignitus sit, ita vt non valeat dispensatio, si ab alio qui Doctor non sit, rescriptum Apostolicum expediatur, nisi ex priuilegio Sedis Apostolicæ.

Secundò, vt ab Ordinario ad audiendas confessiones sit approbatus: ita scilicet vt sit approbatus respectu illius, qui dispensationis executionem postulat, eò quòd debet eum sacramentaliter absoluerè. Unde si fœmina esset dispensanda, non sufficeret quòd quis esset approbatus, ad audiendas dumtaxat confessiones virorum.

Tertiò, vt non dispense nisi cognita causa, quæ à postulante fuit allegata, &

de qua fit mentio in rescripto. Quare ab ipso diligenter inquirere debet, num vera sit causa illa, nisi aliunde de veritate illius satis ipsi constet. Hoc autem adeò necessarium est, vt nulla sit dispensatio, si rescriptum expediatur, non præmissa causæ cognitione.

Quartò, vt audiat confessionem penitentis, quando culpabiliter mutauit propositum, vt si petens dispensationem à voto castitatis, illud violauerit. Licet autem non modo in tali casu, sed etiam in aliis, in quibus dispensandus non peccauit, tutius sit præmittere confessionem sacramentalem: ex probabiliori tamen sententia, id non requiritur tanquam conditio, ad valorem dispensationis absolute necessaria; cum id ex tenore rescripti colligi nequeat.


Quintò, vt dispensando, pia quædam opera iniungantur, quòd ita intelligendum est, vt ea opera speciatim imponantur, quæ in bulla sunt determinata: de aliis verò quæ ipsius prudentiæ relinquuntur, ordinetur prout magis expedire visum fuerit.

Sextò, vt non dispense in matrimonio contrahendo, nisi impedimentum affinitatis, ex copula fornicaria contractum, occultum sit: dicitur autem occultum, non quia probari nequit, sed quia

publicum non est, seu quia ignoratur à maiori parte viciniae, aut communitatis in qua dispensandus degit: vel quia ad forum contentiosum non est deductum, aut si deductum est, dispensandus in eo fuit absolutus.

Septimò, vt coniugem ignorantum impedimenti, certiore faciat nullitatis matrimonij cum alio contracti, eosque ante executionem dispensationis separari curet, aut tanquam fratrem, sororem simul habitare. Verùm si graue scandalum, aut periculum incontinentiae, aliudue incommodum inde timetur, ab his abstinendum erit. Quid autem facto opus sit, vt validetur matrimonium antea inualidè contractum, ex Tractatu de Matrimonio petendum est.

Octauò, vt Confessarius post collatam dispensationem, litteras dilaniet, neque eas parti restituat. Quòd si secùs fecerit, non propterea irrita erit dispensatio iam collata; litterae tamen non poterunt Oratori suffragari in foro externo.



CAPVT XII.

De cessatione, & interpretatione legis.

CONCLVSIO I.

Obligatio legis, adeoque. lex ipsa cessat, cessante causa illius.) Ratio est: quia cum lex, illiusque obligatio pendeat à voluntate legislatoris, vt superius diximus, sequitur eam cessare, quando legislator non vult vt amplius obliget: hoc autem censetur non velle, quando cessat causa propter quam legem statuit.

Aduertendum tamen 1. hoc debere intelligi, de causa finali, adæquata & totali si enim propter duos fines lex statuta est, ea non cessat, quamuis vnus ex illis finibus cesset, modo alter perseueret. Vnde quia lex ieiunandi imposita est, & ad carnem domandam, & ad satisfaciendum pro peccatis, merendamque gratiam, non erit quis ab illa liber, etsi fortè carnis stimulis non agitetur.

Aduertendum 2. vt lex simpliciter cesset. requiri vt totalis illius causa finalis

nalis

nalis simpliciter cesset: si enim cesset tantum pro aliquo tempore, id non sufficit ut legis obligatio absolute tollatur, sed tantum ut suspendatur pro eo tempore.

Aduertendum 3, ad cessationem legis requiri, ut causa illius totalis cesset communitatis; quia cum lex respiciat bonum commune, ea durat, quandiu bono communi est utilis, esto forte in casu aliquo particulari finis illius cesset. Atque hoc extendendum puto ad legem latam, ad vitanda quædam inconuenientia, ita ut quandiu non cessat periculum generale, non cesset legis obligatio, etsi speciale periculum cesset. Vide quæ hac de re diximus supra cap. 7. concl. 2.

Aduertendum 4. quando causa totalis cessat respectu communitatis, totam communitatem liberam esse à legis obseruatione, siue ea id aduertat, siue non. Vnde quamuis particulares illius communitatis non possint agere contra legem, quandiu ignorant illius causam cessasse alij tamen qui probe norunt, causam illam non amplius vigere, quique proinde non tenentur, siue à parte rei, siue ex errore legem obseruare, non peccant, si contra illam operentur.

CONCLUSIO II. Potest vna
de Ang. M

lex per contrariam abrogari.] Hoc patet ex dictis, cap. 10. concl. 3. Ad maiorem autem intelligentiam pauca hinc obseruanda sunt 1. abrogationem illam posse fieri licite, quia potest aliquid isto tempore esse commodum Reipublicæ, quod aliàs in damnum illius vergeret.

Obseruandum 2. duobus modis legem antiquam posse abrogari, vel præcisè tollendo obligationem illius, vel statuendo legem contrariam; illudque esse discrimen inter duplicem hunc abrogationis modum, quòd prior validus est, etsi fiat sine causa rationabili: non autem posterior, eo quòd de ratione legis est, vt cõmune bonum respiciat, iuxta dicta cap. 1. conclus. 2.

Obseruandum 3. quando abrogatio præcedentis legis fit per aliam legem, vt ea abrogatio valeat, requiri vt lex de nouo constituta habeat, quicquid capite iã citato diximus pertinere ad rationem legis. Vnde si deest promulgatio, aliaue conditio ad essentiam legis requisita, abrogatio ei innixa nullius est momenti, ac proinde lex antiqua in suo vigore perseuerat. Quando verò cessat lex per meram abrogationem, etsi tunc ad valorem abrogationis, non sint necessariae aliæ conditiones legis, requiritur tamen quæ-

dam reuocationis promulgatio: cum nequeant subditi ab antiqua obligatione liberari, nisi voluntas superioris, priorem legem reuocantis, iis quodammodo innotescat.

Obseruandam 4. ad valorem abrogationis non requiri, vt fiat mentio prioris legis, quando Superior illius conscius, aliam ipsi repugnantem condit; secus si priorem legem ignorare censeatur. Cæterum Princeps non præsumitur ignorare leges, quæ sunt iuris communis, sed eas tantum quæ sunt extra ius commune: quare priores valide abrogare censeatur, earum mentione minime facta, non posteriores, eò quòd ignorantia causat involuntarium.

Obseruandum 5. iam dicta cum ea limitatione debere intelligi, vt si Superior condendo legem, iuret se ei non derogaturum, eius mentio facienda sit, vt per aliam legem valide abrogetur. Aliàs enim præsumendum erit, Superiorem non recordari legis præteritæ, ne periurij eum damnare cogamur, atque ad eò posteriorem ex ignorantia procedere.

Obseruandum 6. eum qui legem tulit, posse eam abrogare, illiusque successorem, & à fortiori Superiorem, cum hic

ampliores potestatem, & iurisdictionem habeat. Non tamen inferiorē posse authoritate propria, legi sui Superioris derogare, ut patet vel ex ipsis terminis. Nec refert, quod possit in eo interdum dispensare ex cap. 11. minus enim est in lege aliqua dispensare, quam eam penitus abrogare, ut satis constat; ac præterea non habet inferior à se potestatem dispensandi in lege Superioris, sed à Superiore ipso: quare multo minus habebit potestatem abrogandi legem ab eolatam, sine ipsius consensu.

CONCLUSIO III. Duplex traditur solet legum interpretatio, (alia authentica, alia doctrinalis.) Circa primam illud tantum occurrit notandum, eū posse authenticè legem interpretari, qui potest eam statuere, quia ex tali interpretatione sequitur obligatio seruandi legem. Unde inferiores, aut non habent potestatem eo modo interpretandi leges suorum Superiorum, aut eam ab ipsis Superioribus accipiunt. Qua ratione sacra Congregatio Cardinalium, quæ interpretationi, & executioni Concilii Tridentini præfecta est, potest authenticè interpretari, ex commissione Sedis Apostolicæ, quæ in eo Concilio statuta sunt.

Circa secundam aduerte 1. legem non

non obligare in iis casibus, qui per Epigramam in lege non censentur comprehenssi, etsi alioqui verba legis aliud prima fronte sonare videantur. Ratio est, quia lex non obligat, ultra voluntatem legislatoris: non censetur autem legislator habere voluntatem obligandi in casibus, qui iuxta regulas æquitatis, & prudentiæ non comprehenduntur in lege: ut si observatio legis fiat iniqua, si cedat in damnum Reipublicæ, si nimis grauis sit: qua ratione omnes concedunt, ægrotum esse liberum à lege ieiunij, &c.

Aduerte 2. ut homo liber sit ab obligatione legis in casu quem putat ea non comprehendi, requiri saltem ut ex probabili sententia tale quid sibi persuadeat, quia tutò sequi possumus sententiã probabilem, ex dictis suprã cap. 3. In dubio autem, an lex casum aliquem comprehendat, debet consuli Superior, quando id commodè fieri potest. Quòd si id fieri nequit, dicunt aliqui concludendum esse pro obligatione, quia lex possidet. Verùm non potest dici quòd lex possideat, in casu de quo agimus, etsi possideat seu obliget in alijs. Quare probabilius est eam rursus non obligare, quia melior est conditio voluntatis, libertatem suam possidentis, ut loco citato ostendimus.

Aduerte 3. cum legislator mentem suam declarare debeat per legem, hanc explicandam esse iuxta proprietatem verborum. Excipe, nisi ex ea proprietate inconueniens aliquod sequeretur: tunc enim praesumendum esset, eum non esse sensum legislatoris, adeoque verba improprie accipienda essent. Idem d.c., si ex proprio sensu lex redderetur inutilis, ea enim legis nomen non meretur, nisi in bonum communitatis ordinata sit. Verum quia duplex assignari solet verborum proprietates, alia naturalis, alia civilis.

Aduerte 4. quando lex fauorabilis est, eam posse explicari iuxta utramque illam proprietatem, qua ratione in dispositionibus fauorabilibus, sub nomine filij intelligi solet non modo naturalis, sed etiam adoptiuus; quia etsi ex usu communi, per filium non intelligatur nisi naturalis, iuxta proprietatem tamen civilem, seu a iure inuectam, nomine filij intelligendus venit etiam adoptiuus. Quando autem lex est praecipua, aut poenalis, ea explicanda est iuxta sensum communem verborum; & quia odia sunt restringenda, in eo sensu mitior interpretatio amplectenda est.

CONCLUSIO IV. Lex non extendenda, ob similitudinem rationis,

ad casum in ea non comprehensum.) Ratio est, quia lex non est extendenda, præter voluntatem legislatoris, ergo non debet extendi ad casus in ea minimè comprehensos. Sequela patet, quòd enim legislator vnum casum comprehenderit, non alium, hoc in illius voluntatem referri debet: quia scilicet vnum voluit comprehendere, non alium. Co firmatur, nam verum sensum legis ex verbis assequi debemus: quare si verba non comprehendunt aliquem casum, dici non potest, legem ipsam ad eum extendi.

Vbi nota 1. etsi hoc præsertim locum habeat in lege pœnali, quia in pœnis benignior pars est amplectenda, id etiam verificari in lege fauorabili: eo quòd sicut potest legislator vnum crimen punire, alio simili non punito, aut non eadem pœna: ita liberum illi est, in re fauorabili comprehendere vnum casum, & non alium, etsi eadē ratio videatur a què locum habere in vtroque.

Nota 2. his non obstare, quòd intentio legislatoris colligi solet ex ratione, qua motus fuit ad condendam legem: hinc enim non sequitur, legem esse extendendam ad casum similem, in quo ratio illa viget: nisi constet legislatorem voluisse

etiam eiusmodi casum comprehendere. Eò vel maximè, quia potuit legislator moueri altiori aliqua ratione nobis ignota, ne vellet legem suam extendi ad casum similem.


Nota 3. prædicta vera esse, non tantum quando ratio aliqua disparitatis reperiri potest. inter casum lege expressum, & eum qui lege non comprehenditur, sed etiam quando omnimoda similitudo inter vtrumque intercedit. Quia potest legislator moueri aliqua ratione, ad legem statuendam in vno casu, non in alio planè simili: cum hoc à voluntate illius pendeat, & interdum non expediat omnia præcipere, aut prohibere, in quibus eadem ratio locum habet.

Nota 4. interdum tamen præsumi extensionem ad casus similes, esse de mente legislatoris, nimirum 1. in correlatiuis. 2. in æquiparatis. 3. in subordinatis. Unde de his dicitur, dispositum in vno, censetur dispositum in alio. Exemplum primi est, sicut potest maritus diuertere ab vxore adulterante; ita vicissim potest vxor maritum adulterantem relinquere. Exemplum secundi, quam pœnam incurrit clericum occidens, eandem incurrit & mandans quia qui per alium facit, per seipsum facere censetur. Exemplum

tertij, si tempore quadragesimæ licet tibi carnibus vesci, à fortiori esus ouorum tibi tunc licitus est. Quorum omnium ratio est, quia vitanda est legis extensio, nisi ex negatione talis extensionis, sequatur iniustitia, aliudue graue incommodum, vt contingeret in exemplis allatis, si quod constituitur in vno casu, non esset constitutum in casu simili.

Nota vltimò illud esse discrimen, quoad iam dicta, inter forum internum, & externum, quòd etsi in foro interno lex non sit, per se loquendo, extendenda ad casus similes, in foro tamen externo debet iudex, quando propria lex deficit, sententiam ferre iuxta id quod in simili casu statutum est; quia in iudiciis ferendis, tenetur se legibus conformare, quantum fieri potest.





INDEX

CAPITVM, SE V
Sectionum de Angelis,
de Beatitudine super-
naturali, & actibus hu-
manis, & de Lege hu-
manorum actuum.

- Cap. I. An sint, quando, & ubi crea-
ti. fol. 1.
Cap. II. An Angeli creati fuerint, ab
initio in gratia, & beatitudine. f. 4.
Cap. III. Quid sint, & an eiusdem spe-
ciei. fol. 8.
Cap. IV. Quid possint Angeli circa res
corporeas. fol. 17.
Cap. V. De intellectu Angelico, & eius
speciebus. fol. 27.
Cap. VI. Quid cognoscant Angeli. f. 33.
Cap. VII. Quomodo cognoscant Ange-

INDEX.

275

- li. fol. 44.
 Cap. VIII. De voluntate Angelica, & eius actionibus. fol. 50.
 Cap. IX. De merito Angelorum. fol. 57.
 Cap. X. De locutione Angelica, & illuminatione. fol. 62.
 Cap. XI. De demerito, & peccato demonum. fol. 66.
 Cap. XII. De poena demonum. fol. 77.
 Cap. XIII. Quomodo ordinentur Angeli, & quid possint. fol. 84.
 Cap. XIV. De missione, & Custodia Angelorum, & impugnatione demonum. fol. 91.
-

TRACTATUS DE
 beatitudine supernatu-
 rali, & actibus humanis
 quibus comparatur.

- Cap. I. De beatitudine. fol. 101.
 Sect. I. De beatitudine obiectiva fol. 102.
 Sect. II. De beatitudine formali fol. 104.
 Cap. II. De moralitate actus huma-
 ni. fol. 108.
 Cap. III. Vnde sumatur bonitas, & ma-
 litia actus. fol. 115.


- Cap. IV. *An dentur actus humani indifferentes.* fol. 122.
 Cap. V. *De conscientia.*
 Sect. I. *Quid sit.* fol. 127.
 Sect. II. *Quomodo obliget.* fol. 129.
-


TRACTATUS DE


Lege humanorum actuum directricè.


- Cap. I. *De ratione uniuersim legis.*
 Sect. I. *Quid sit.* fol. 145.
 Sect. II. *An promulgatio, & acceptatio sit necessaria.* fol. 152.
 Cap. III. *De lege aeterna, & naturali.* fol. 158.
 Cap. IV. *De lege diuina, veteri, & noua.* fol. 169.
 Cap. V. *De praeceptis utriusque legis.* fol. 179.
 Cap. VI. *De lege humana secundum se.* fol. 194.
 Cap. VII. *de obligatione legis humanae.* fol. 206.
 Cap. VIII. *De his qui legibus humanis obligentur.* fol. 218.
 Cap. IX. *De lege pœnali.* fol. 229.
 Cap. X. *De consuetudine.* fol. 239.
 Cap. XI. *De dispensatione.* fol. 247.
 Cap. XII. *De cessatione, & interpretatione legis.* fol. 264.

FIN.









Th
430